[illegible]ogle

9. 5. 82

Digitized by Google

DOMINICI DIODATI

I. C. NEAPOLITANI

DE CHRISTO GRÆCE LOQVENTE

EXERCITATIO

QVA OSTENDITVR

Græcam, ſive Helleniſticam linguam cum Iudæis omnibus, tum ipſi adeo Chriſto Domino, & Apoſtolis nativam, ac vernaculam fuiſſe.



NEAPOLI MDCCLXVII.

EXCVDEBAT IOSEPHVS RAYMVNDVS

Vtraque Poteſtate Annuente.

וצפיר העזים הגדיל עד־מאד וכעצמו נשברה
הקרן הגדלה ותעלנה חזות ארבע תחתיה
לארבע רוחות השמים:

Hircus autem caprarum magnus factus eſt nimis: cumque creviſſet, factum eſt cornu magnum, & orta ſunt quatuor cornua ſubter illud per quatuor ventos cœli.

Daniel Cap. VIII. v. 8.

DOMINICVS DIODATI
AD LECTOREM.

EST illud, L. B., prope nobis fataliter datum, ut clarorum, atque inſignium virorum fama, ſeu quos *merita*, ut ait ille, *endo cælo locaverint*, ſeu quorum etiam maxime ſint celebrata, ac nobilitata flagitia, ita nos vulgo afficiat; ut eorum non modo vitam, reſque geſtas, verum etiam vultus, oris lineamenta, totius denique corporis habitum cognoſcendi incredibili quodam deſiderio teneamur. Quare non parvam animo capimus voluptatem, cum de Platone, Alexandro, Ariſtotele, Cæſare, Tullio, Nerone, aliiſque legimus, qua facie fuerint, quo colore, qua ſtatura; eorum porro imaginibus, ac ſigillis, non ſecus ac pretioſis gemmis, manus, digitoſque ornamus; tum ſi quod eorum

monumentum diu latens, atque abditum in apricum ætas proferat; confeſtim videas, hos, illoſque tamquam ad novum rei miraculum hiantes, atque attonitos convolare, ac ſtupere, magni illud æſtimare, magno mercari, interque pretioſiores domus gazas recondere. Innocens ſane, nec improbanda ſollicitudo. At vero ſi tantum in memoria hominum conſervanda curæ adhibetur, quiſquamne eos damnabit, qui in Chriſti Redemptoris perſonam id ſtudii genus tranſtulerunt? Velut cum Franciſcus Vaſſor diſputavit, qua forma, & oris habitu Chriſtus fuerit; aut cum Ioannes Merekenius quæſivit, an idem morbo alicui obnoxius fuerit, vel defectu aliquo corporis inſignis; vel cum Boilœus, qui de ejuſdem ſtatura diſſeruit; vel alii, qui de ejus annis, lingua, viſu, aliiſque id genus argumentis ſermonem inſtituerunt. Hoſne obſcuræ damnabimus diligentiæ, aut in tenui, ac nullius pretii

re fuiſſe verſatos, criminabimur? Nihilne ex eorum laboribus emolumenti in literatorum rempublicam derivatum fuiſſe, contendemus? Apage tantam dementiam.

At enim ex his omnibus nullum aut utilius, aut elegantius eſſe, niſi valde fallor, argumentum poteſt, quam illud de Chriſti lingua; ex qua quidem tractatione, plurima certe in ſacram philologiam emolumenta derivantur. Neque vero in ea re ſatis inter ſe conveniunt eruditi. Sunt enim, qui dicunt, Chriſtum, & Apoſtolos Hebraicam linguam uſurpaſſe: non deeſt, qui Latino eos ſermone uſos fuiſſe vult: reliqui autem, etſi in dialecto diſcrepant, conſentiunt tamen, Chriſtum, ceteroſque Iudæos locutos fuiſſe Chaldaice, ſeu Syriace; quibus, & ipſe aliquando aſſenſus ſum. Qui tamen cum diligentius in totam hanc rem inquiſierim, multa comperi, quæ me a ſuſcepta, ſententiane, an errore dicam? abduxerunt.

Videtur autem, Chriſto non Hebræa, aut Syra, aut Latina, ſi Superis placet, lingua, ſed una Græca vernacula fuiſſe; quod demonſtrandum ſuſcepi hac Exercitatione. Cum autem iniquum valde ſit, per quos profeceris nolle profiteri, placet hic in anteceſſum, quo pacto in hanc ſententiam de Chriſti Helleniſmo pedibus iverim, aperire.

Diu eſt, cum virum clariſſimum Iacobum Martorellium Græcas literas in Neapolitano lyceo profitentem audivi. Is neſcio quomodo in eum olim ſermonem delapſus eſt, ut diceret, Chriſtum Dominum Græce fuiſse locutum; quod cum paucis, ut tempus, ac locus ferebat, comprobaſſet; perculit animum meum, fateor, ſententiæ novitas. Quare, ut qui ab ineunte ætate ſacrorum bibliorum, ſacrorumque ſcriptorum ſtudio delectatus ſum; ut quidque in iis pervolutandis, quod ad rem faceret, occurrebat, adnotabam, ac ſeponebam.

Sed

Sed poſtquam multa congeſſi ; tum cuncta ordine, & ſuo veluti loco diſponere ita cœpi, ut adumbratio potius, quam abſolutum opus dici poſſet. Tum ergo intellexi, opinionem eam, quæ nova mihi primitus viſa eſt, mirifice cum ſacris literis, Iudæorum numis, atque inſcriptionibus conſentire, ut mirarer omnino, cur in tanta ingeniorum, & literarum præſertim ſacrarum luce, nemo adhuc exſtiterit, cui in mentem veniret diligentius, atque accuratius in totam hanc rationem inquirere. Quare ſtatim magna me inceſſit cupido inchoati operis perficiendi, typiſque committendi. Sed cum viam mihi peragendam intelligerem nullius adhuc tritam veſtigiis, ſane hærebam, ac cunctabar. Quid enim ? an cum Lucretio dicerem

. . . . Iuvat integros accedere fonteis :
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli velarint tempora Muſæ ?

Atqui probe noram, quanta auctori-

 tate

tate, quanto ingenio, atque eruditionis apparatu ad id opus eſſet; & alioqui ſatis vires meas, quam infirmæ, ac debiles eſſent, perſpectas habebam. Quare *ſi*, ut Hebræi dicunt, אם הדבור כסף השתיקה זהב *locutio argentum*, *ſilentium aurum eſt*, nihil proprius factum eſt, quam ut omne ſcribendi, ac commentandi ſuper ea re conſilium penitus abjicerem. Cum ecce tibi, nihil tale cogitans in Iſaaci Voſſii locum de Sibyllinis oraculis incido, ubi video, virum ſummum, etſi paucis, apertiſſimis tamen verbis id ipſum de Chriſti lingua tanto ante aſſeruiſſe, deque ea fuiſſe ipſi cum Simonio litem. Nihil accommodatius fieri potuit ad nutantem, ac fluctuantem animum meum confirmandum.

Habes, L. B., ferme ad omnia: niſi quod pauca adhuc ſuperſunt, quæ non videntur prætermittenda. Ac primo, miraberis ipſe fortaſſe, libelli inſcriptionem aliter in operis fronte, aliter in receſſu habere. Sed parendum videlicet fuit eccleſiaſtico Cenſo-

ſori, qui cum eam minime probaret, quod unum nobis integrum fuit, immutandam in ipſa fronte curavimus. Adhæc quæ inſtituti mei, quæ conſcribendi operis ratio fuerit, Synopſin conſulas moneo, quæ ſtatim conſequitur. Quod vero ad ipſam ὕλην pertinet; ſi θέσιν, quam vocant, modo laudatis viris debere me faſſus ſum; ſcias tamen, me nihil ab ipſis, præter unam ſententiam, accepiſſe; quam deinde meo marte argumentis firmare, obſervationibus illuſtrare, ab adverſariorum difficultatibus tueri, nonnulloſque ſacræ philologiæ nodos ejus ope ſolvere conatus ſum. Confido equidem, eventum conſilio reſponſurum; in quo quid præſtiterim, tuum eſto judicium. Quod ſi quid uſquam a me temere, aut inconſiderate ſcriptum eſt, quod non puto, teſtor me id totum, quod unius veritatis ſtudioſum decet, corrigere, & mutare paratiſſimum eſſe. Itaque te, L.B., valere jubeo, utque conatibus meis faveas, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

Dabam Neapoli idibus Martii MDCCLXVII.

VNIVERSI OPERIS SYNOPSIS

VT inſtituti, L.B., operis tibi ratio conſtet, hæc te paucis in anteceſſum monitum volo, me propoſitum argumentum de Chriſto Helleniſta ſive Græce loquente, quod idem eſt, hunc in modum tractandum ſumere: probo enim „ iam inde ab ævo Machabæorum Græcam linguam omnibus Iudæis, atque adeo in ipſa Iudæa fuiſſe vernaculam „. Id quidem ſi oſtendero, continuo & illud patebit, eamdem Græcam linguam Chriſto, ejuſque Matri, & Apoſtolis, quippe in Iudæa ortis, propriam, ac nativam fuiſſe. Quamobrem Exercitationem hujuſcemodi trifariam partimur. I. aperimus, quemadmodum Græcus ſermo illatus fuerit in Iudæam. II. rationes proponimus, quæ conficere videntur, Chriſtum, Apoſtolos, atque Iudæos omnes Græco idiomate locutos fuiſſe. III. contra ſentientium opiniones, rationeſque ſingillatim excutimus, ac refellimus. Et quæque pars hujuſmodi in duplex dividetur caput. Ac denique in extremo opere ediſſerimus, quo pacto celebriores quædam ſacræ philologiæ quæſtiones facile, levique brachio hujuſce συςήματος ope dirimantur.

PARS

PARS I.

Quo pacto Græca lingua illata fuerit in Iudæam. pag. 1

CAPVT I. *Exponuntur propoſitiones aliquot tanquam operis fundamenta.* 1

PROP. I. *Populorum linguas mutari ab armis victricibus.* 2

PROP. II. *Ægyptios Ptolemæi Lagi ævo Græce locutos eſſe.* 6

PROP. III. *Syros a Seleuco Nicatore Græco ſermone uſos.* 16

CAPVT II. *Iudæos Græcam linguam a Græcis, Ægyptiis, ac Syris recepiſſe.* 26

§. I. *Helleniſmi primordia inducta in Iudæam ſub Alexandro Magno.* 27

§. II. *Alexander Macedo Samariæ collocat Macedonas, pulſis inde Samaritanis omnibus.* 28

§. III. *Septuagintamillia Iudæorum Græcam linguam ex Ægypto in Iudæam transferunt.* 29

§. IV. *Iudæi e Syria reduces cum epocha, & moribus Græcorum Græcam etiam linguam invexerunt ſecum.* 32

§. V. *Iaſon Pontifex Iudæos nititur traducere ad ritus Græcorum, quod illi libentiſſime præſtiterunt.* 35

§. VI. *Helleniſmi progreſſus in Iudæa ſub Pontifice Menelao.* 37

§. VII.

§.VII. *Antiochus Epiphanes omni conatu Græcorum linguam, mores, ac leges in Iudæa firmare adnititur.* 38
§.VIII. *Hieroſolyma referta coloniis Græcis.* 40
§.IX. *Samaritani Sicimitæ ſponte ſua græcantur, & templum Garizitanum Hellenio Iovi dicant.* 42
§.X. *Antiochus mortis pœnam ſtatuit Iudæis Helleniſmum recuſantibus, vel Iudaica inſtituta non averſantibus.* 43
§.XI. *Antiochus idem etiam cauſſas præcidit, quæ a ſuſcepto Helleniſmo averterent Iudæos.* 45
§.XII. *Pontifex Alcimus magnopere in Iudæa Helleniſmum amplificat.* 46
§.XIII. *Vniverſa Iudæa repleta coloniis Græcis per annos undeviginti.* 48
§.XIV. *Iudæi Græcanicam philoſophandi rationem, Græcaſque ſectas adoptarunt.* 50
§.XV. *Inſecuti Reges Iudæorum Hellenibus, ac Helleniſmo nimis favent.* 53
Excurſus ſuper Helleniſtis Actuum Apoſtolorum VI. & quinam fuerint Helleniſtæ. 56
An exſtiterit unquam lingua Helleniſtica. 63
§.XVI. *Anacephalæoſis.* 68.

PARS

PARS ALTERA

Chriſtum, Apoſtolos, Iudæos omnes Helleniſtica lingua uſos fuiſſe argumentis oſtenditur. 71

CAPUT I. *Probatur, iam inde ab ætate Machabæorum vernaculam fuiſſe apud Iudæos linguam Helleniſticam, eaque vulgo illos locutos fuiſſe.* 74

§.I. *Ab ævo Machabæorum Iudæi omnes Helleniſtice ſcripſerunt.* 75

§.II. *Iudæorum numi inſcribebantur Græce.* 84

§.III. *Iudæi Græcam linguam in inſcriptionibus, edictis publice ad legendum propoſitis retinuerunt.* 94

§.IV. *Iudæi Græca nomina ſibi imponebant, ac filiis ſuis.* 101

§.V. *Græcum alphabetum in ſcholis docebant pueros.* 104

§.VI. *Sacra biblia Græce legebant, & quidem in ſynagogis.* 108

§.VII. *Iudæos Græce locutos Ioſephi teſtimonio probatur.* 110

§.VIII. *Græcum ſermonem ſervarunt Iudæi in regionibus partiendis, noviſque urbibus nuncupandis.* 113

§.IX. *Feſtis, ædificiis, dignitatibus, ordinibus, numis, aliiſque rebus noviter poſt Ma-*

Machabæorum ævum inſtitutis Græcum nomen dederunt. 115
§.X. *Anacephalæoſis.* 120
CAPVT II. *Oſtenditur Chriſtum, & Apoſtolos Helleniſtica lingua locutos fuiſſe.* 121
§.I. *Ieſus Græcum cognomen aſſumpſit.* 122
§.II. *Diſcipulorum collegium Græce cognominavit.* 123
§.III. *Chriſtus Græcis bibliis utebatur.* ib.
§.IV. *Chriſtus Græcis proverbiis uſus eſt.* 127
§.V. *Item Græco Alphabeto.* ib.
§.VI. *Helleniſtica lingua Apoſtolis fuit nativa, ac vernacula.* 129

PARS TERTIA

Reſpondetur ad quæ ſtatuunt, & opponunt adverſariarum ſententiarum patroni. 133

CAPVT I. *Variantes de Chriſti lingua opiniones proponuntur, & refutantur.* ib.
SECT. I. *Hebraica lingua nec Chriſto, neque coævis Iudæis fuit vernacula.* 134
SECT. II. *Confutatur Harduinus docens, Chriſtum, & Iudæos Latine locutos.* 136
SECT. III. *Neque Chriſto, nec coævis Iudæis Syriaca lingua fuit vernacula.* 141
CAPVT II. *Reſpondetur ad quæ adverſarii contra ſententiam noſtram afferre poſſint.* 154

§.I.

§.I. *Cur Paullus Hebraice allocutus ſit Iudæos.*ib.
§.II. *De Syriacis, aut Hebraicis vocabulis, quæ occurrunt in novo Teſtamento.* 162
§.III. *Explicantur bina Ioſephi loca in proœmio, & in fine Antiquitatum, quæ incommodare nobis videntur.* 167
§.IV. *Cur, & pro quibus Ioſeph libros de Bello Iudaico Chaldaice ſcripſerit.* 171
§.V. *Inquiritur in Ioſephum, qui Iudæos alloquens* Ἑβραΐζε. 174
§. VI. *De libris Rabbinorum.* 177
APPENDIX *quemadmodum nonnulli Sacræ Philologiæ nodi huius ſyſtematis ope facile diſſolvantur.* 182
§.I. *De Matthæi, & Marci Evangeliis.* ib.
§.II. *De Paulli Epiſtola ad Hebræos.* 185
§.III. *De Helleniſtis, ac lingua Helleniſtica.* 186
§.IV. *De priori Machabæorum libro.* 187
§.V. *De Græca Verſione* LXX. *Interpretum.* ib.
§.VI. *Concluſio operis.* 204

Digitized by Google

DE CHRISTO HELLENISTA
PARS PRIMA.
OSTENDITVR QVO PACTO GRÆCA LINGVA ILLATA FVERIT IN IVDÆAM.

ANtequam opus aggredior, operæ pretium me facturum puto, ſi totius rei fundamenta veluti quædam jecero. Ac quemadmodum Geometræ ſolent, qui initio definitiones, axiomata, ac poſtulata ſtatuunt, ex quibus deinde rationes illas ſuas ἀποδεικτικάς conficiunt; ſic ipſe principia, ſeu propoſitiones quaſdam, ſatis illas quidem receptas in anteceſſum ponam, unde ejus rei, quam probandam, & illuſtrandam ſuſcepi, veritas exſiſtat. Hinc igitur σὺν Θεῷ initium diſceptationis hujuſce noſtræ ducatur.

CAPVT I.
Exponuntur Propoſitiones aliquot tanquam operis fundamenta.

TRia hoc capite proponenda, ac probanda ſunt. Ac primo quidem ajo gentium linguas mutari ab armis victricibus; deinde in Ægypto Ptolemæi Soteris ævo

Græcam linguam fuiſſe vernaculam ; tertio demum Syros a Seleuco Nicatore Græce loquutos fuiſſe .

PROPOSITIO I.

Populorum linguas mutari ab armis victricibus .

POpulorum linguas annis labentibus immutari , atque corrumpi monuit Horatius in Arte : (1)

Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos ,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque .
Debemur morti nos , noſtraque , &c.

Ad linguas autem immutandas cum plurimum quidem facit ſeu longævitas , ſeu regionum ſitus, & poſitura; tum ex communi eruditorum ſenſu , nihil magis ad mutandum alicujus loci ſermonem confert , quam ſi victricia arma loco illi inferantur . Tunc enim victoris populi ſermones incolæ paullatim, ut & ejuſdem mores, atque inſtituta imbibere, iiſque adſueſcere incipiunt , ac ſuos viciſſim dediſcere , & oblitterare . Quod ipſum cum rerum ipſarum natura fit , tum aliquando magis etiam victores ipſi ei rei dant operam, qui ſpecimen aliquod dominatus in eo ſibi repoſitum arbitrantur , ſi ſubjectæ gentes eadem , qua ipſi , lingua utantur ;

(1) *Horat. in Arte v. 60. , & ſeq. ; & v. 68. ad 72.*

tur; quod multis exemplis probarunt clariſſimi Joannes Bodinus (1), Brianus Waltonus (2), Bernardus Aldretus (3), Carolus Du-Freſne (4), Conradus Geſnerus (5), aliique complures: quorum vel unus audiatur Geſnerus: *Hoc*, inquit, *plerumque evenit, ut in victos ſimul cum imperio victoris lingua derivetur: nec ſe victores exiſtimant, aut rerum potitos, aut actionum humanarum dominos, niſi & ſermone etiam dominentur.* At enim, inquies, non uſquequaque hoc verum eſſe; quod patet vel in Neapolitano hoc regno, quod tam frequenter ab exteris bello captum eſt; in Hiſpaniis, in quas tamdiu ab Auſtriacis imperatum eſt, quæ deinde Philippo V. Andegavenſi Duci ceſſerunt; ac demum in Hetruria, quam anno MDCCXXXVI obtinuit Franciſcus III. Lotaringiæ Dux, ut interim de aliis ſileam.

Verum hæc nihil obſtant: neque enim victores in has provincias ullas colonias invexerunt, incolaſque in ſuas regiones tranſtulere. Quod ſi accidiſſet, tunc ſane ſubactæ gentes victoris linguam certo excepiſſent; quod aliquot ex hiſtoria petitis exemplis juvat hic confirmare. Atque, ut a

(1) *Bodin. in Method. Hiſt. cap. IX.*
(2) *Walton. Proleg.* 1. *c.* 19. *p.* 5.
(3) *Aldretus Origine de la lingua Caſtellana l.*1. *c.*11.12.
(4) *Du-Freſne Præfat. ad Gloſſar.* §. *XI.*
(5) *Geſnerus in Mithrid. cap.* 1.

Græcis incipiam; Phocenſes in Maſſilienſem tractum Græcam linguam cum imperio intulerunt; ut olim Romani pro Attica peregrinatione Maſſilioticam ſuſceperint ad Græcas diſciplinas addiſcendas, ut refert Livius (1). Alexander Macedo hoc ſtuduiſſe in primis viſus eſt, ut non minus imperii fines, quam Græcam linguam laxaret; ita ut, Hieronymo teſte, *ſermone Græco omnis oriens loqueretur* (2). Quod adeo verum eſt, ut non modo Scythæ, verum etiam Indi Græcum ſermonem acceperint, quos quidem cum Tyanenſi Apollonio Græce locutos accepimus. Quid de Romanis dicam, quorum quocumque invecta eſt dominatio, ibi etiam Latine loqui incolæ didicerint? *Operaque data eſt, ut imperioſa civitas non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus pacto ſocietatis imponeret*: quæ verba ſunt Auguſtini (3). Atque in hujuſmodi conſilio res adeo feliciter ſuccedebat, ut ubicunque Romanorum diffundebatur imperium, illic & Latinæ vocis honor vigeret, & quadam deſuetudine nativum ἰδίωμα aboleretur: ita quidem ut quæratur hodie, qua tot provinciarum, quæ iis olim paruerant, incolæ lingua uſi fuerint. Quod de Turdetanis, & iis præſertim, qui ad Bætim in Hiſpania incolunt, ſcri-

(1) *Livius l.* 35. *c.* 9.
(2) *Hieronymus Proœm. ad lib.* 2. *Ep. ad Galat.*
(3) *Auguſt. Lib. XIX. de Civ. Dei c.* 7.

ſcribit Strabo, Οἱ μέν τοι Τουρδιτανοὶ, καὶ μάλιστα, οἱ περὶ τὸν Βαῖτιν τελέως εἰς τὸν Ῥωμαίων μεταβέβληνται τρόπον, οὐδὲ τῆς διαβλέκτου τῆς σφετέρας ἔτι μεμνημένοι, *Turdetani autem, maxime qui ad Bætin ſunt, adeo Romanos mores aſſumpſerunt, ut ne ſui quidem ſermonis meminerint* (1). Ita Galli veteres expugnatis iis Græciæ provinciis, quæ Galatia, ſive Gallogræcia dictæ ſunt, nomen ibi ſuum indiderunt, ac propriam linguam intulerunt (2). Sic Willelmus nobilis ille Angliæ domitor linguam veterem Gallorum in eam inſulam adeo tranſtulit, ut Anglica, & Saxonica, quæ tum vigebant, extinctæ ferme fuerint, ut teſtatur Ingulfus (3), & Robertus Holkotus (4) Dominicanus, qui vixit circa annum MCCCL. cujus hæc ſunt verba: *Narrant hiſtoriæ, quod cum Willelmus Dux Normannorum Regnum Angliæ conquiſiviſſet, deliberavit, quomodo Linguam Saxonicam poſſet deſtruere, & Angliam, & Normanniam in idiomate concordare: & ideo ordinavit, quod nullus in curia Regis placitaret, niſi in Gallico, & iterum quod puer quilibet ponendus ad literas, addiſceret Gallicam, & per Gallicam Latinam, quæ duo uſque hodie obſervantur*. Atque ita ſenſim prorſus extincta fere lingua Anglicana. Qua de re exſtat que-

 rela

(1) *Strabo Lib. 3. p. 151.* (2) *Vide Hieron. loc. cit.*
(3) *Ingulfus p. 895. 901. & 912.*
(4) *Holkotus lect. 2. ſup. ſapientiam.*

rela Henrici Huntindonenſis (1), *Cui autem non comparet amorem cæleſtium, & horrorem terreſtrium, ſi cogitet non ſolum Reges eorum* (Anglorum ſcilicet), *& Principes, & populum deperiiſſe; verum etiam ſtirpem omnem, & Linguam, & mentionem ſimul defeciſſe? etſi de aliis mirum non eſſet, de Lingua tamen, quam unam inter ceteras Deus ab exordio Linguarum inſtituit, mirandum videtur*. Ac demum, ut externa teſtimonia prætermittam, mitto loqui de Parthis in Perſia; Arabis in Carthagine; Turcis, Tartaris, Sclavonibus in Græcia; Hiſpanis, Gallis, Anglis in Americanis provinciis, quas occuparunt, ceteriſque aliis: Hebræi ipſi, qui ante Babylonicam captivitatem Hebraice loquebantur, a Chaldæis devicti, atque Babylonem translati Chaldaicum exceperunt idioma, ut omnibus liquet, oblito Hebraico antiquo [2]. Patet ergo, quod initio propoſui, *Populorum linguas mutari ab armis victricibus.*

PROPOSITIO II.

Ægyptios Ptolemæi Lagi ævo Græce loquutos eſſe.

Quadringentis jam ferme ante Lagum annis ſub Pſammiticho Rege lingua Græca in Ægyptum induci cœpit, quo quidem tempore illuc appulerunt Iones, & Cares ad triginta millia. Cum enim Pſammi-

(1) *Lib.* 1. *Hiſt. Anglic. pag.* 300.

(2) *Vide, quæ dicam infra Part.* III. *Cap.* I. §. I.

mitichus iis adjutoribus hoſtes devicerit, adeo erga eos affectus eſt, ut non modo habitanda loca dederit circa Bubaſtin, & Peluſiacum oſtium, ſed etiam pueros Ægyptios iis commiſerit Græca lingua imbuendos. Præterea, ut omnem ab iis regionibus barbariem abſtergeret, politioreſque Græcos mores inveheret, maximis eos beneficiis affecit; Græcoſque alios non ſane paucos, ut eo proficiſcerentur, illexit. Non multo poſt Amaſis Rex, quippe qui ſtudioſiſſimus Græcorum fuit, illos e Peluſiaco oſtio Memphin tranſtulit, & Naucratin; ex quo factum eſt, ut Ægyptii familiariter magis majorique ſtudio Græcis ex eo tempore uterentur. Qua de re ſcripſit Herodotus ſua tempeſtate (1): Τούτων δὲ οἰκισθέντων ἐν Αἰγύπτῳ οἱ Ἕλληνες οὕτω ἐπιμισγόμενοι τούτοισι, τὰ περὶ Αἴγυπτον γινόμενα, ἀπὸ Ψαμμιτίχου βασιλῆος ἀρξάμενοι, πάντα, καὶ τὰ ὕστερον ἐπιστάμεθα ἀτρεκέως· πρῶτοι γὰρ οὗτοι ἐν Αἰγύπτῳ ἀλλόγλωσσοι κατοικίσθησαν· ἐξ ὧν δὲ ἐξανέστησαν χώρων, ἐν τούτοισι δὴ οἵ τε ὁλκοὶ τῶν νεῶν, καὶ τὰ ἐρείπια τῶν οἰκημάτων τὸ μέχρι ἐμεῦ ἦσαν, *poſt ſedes ab iſtis Græcis in Ægypto collocatas nos Græci cum illis ita commixti res circa Ægyptum a Pſammiticho rege exorſi, & quæ deinceps exſtiterunt, omnia liquide cognita habemus. Hi enim primi Ægyptum, qui alte.*

(1) *Herod. ex Weſſeling. edit. p. 179. v. 59.*

alterius linguæ eſſent, incoluerunt. Atque ex quibus locis demigrarunt, ibi & veſtigia navalium, & domorum rudera ad meam uſque ætatem oſtendebantur. Ac ita ſenſim in Ægyptum illatus eſt Ἑλληνισμὸς, qui tamen multo illic altiores radices egit, cum regionem illam Græcorum arma obtinuerunt. Nam cum Alexander Ægypto potitus eſt, urbemque ibi condidit, quam ab ſuo nomine Alexandriam nuncupavit, Græcaſque colonias eo deduxit, nova omnia conſtituit; ut narrat Strabo. Ex quo demum factum, ut Ægyptii Græcorum linguam, mores, & leges cum imperio ſubire coacti ſint. Iam vero Alexandro Babylone e vivis erepto, cum Ptolemæo Lago Ægyptus obvenerit, is, utpote Macedo natione, Ægyptiam linguam penitus oblitterare ſtuduit, Græce duntaxat Ægyptios loqui juſſit: ut appoſite dixerit clariſſimus Bochartus: *Deinceps ſub Ptolemæis Græcum ſermonem in Ægypto profundas egiſſe radices* (1). Quidni enim? ſi quoquo exinde oculos vertas, undecumque tibi Græca monumenta occurrent. Ac ſane ſi ævi illius ſcriptores evolvas, eorum, qui Græca lingua non ſcripſerit, invenies neminem. Manetho Dioſpolitanus, Ptolemæus ipſe Soter, & Philadelphus, & Evergetes, & Philoponius, Ammonius, Herodianus, Philo Iu-

(1) *Bochart Phaleg. Lib.* 1. *cap.* 16.

Iudæus, Appion, & Alexandrini Apollonius, Didymus, Paullus, Cyrillus, Appianus, aliique pæne innumerabiles Græce ſcripſerunt.

Iam quid de numis loquar? Sane ex quo Ægyptus Græcis Regibus ceſſit, omnia numiſmata cum Græca epigraphe cudi cœperunt. Non hic eorum indicem texam, neque tamen nullum teſtimonii, atque exempli ergo proferam. Satis ſit, quod ex clariſſimo Vaillantio excerptum ſubjicio.



Vides caput Ptolemæi Soteris diademate redimitum, in cujus averſa parte aquila fulmini inſiſtens cum Græca inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, *Regis Ptolemæi*. Atque hunc morem deinceps inſecuti alii Ægyptiorum Reges tenuerunt numos Græce inſcribendi; quod abunde docent Patinus, Noriſius, Spanhemius, aliique, qui hanc eruditionis partem ornandam ſumpſerunt, & præcipue clariſſimus Vaillantius, qui eximiam Ægyptiorum Regum hiſtoriam ad eorumdem numiſmatum fidem accommodatam

tam in lucem emiſit. Reſtat, ut de inſcriptionibus, ceteriſque id genus monumentis videamus. Ac cum multa ſint, quæ hic in exemplum adducere poſſim, age brevitatis cauſſa privo teſtimonio contenti ſimus. Id erit nobile illud monumentum Adulitanum vulgo dictum, quod in Adule Æthiopum urbe maritima Ptolemæus Evergetes excitavit. Hic δίφρον, ſive ſellam ad urbis ingreſſum dicavit Marti, in cujus poſteriori parte imagines Herculis, ac nobilis ejus victoriæ inſculptæ erant. Hoc quidem adhuc viſebatur imperante Iuſtino, quemadmodum docent Allatius, Thevenotus, aliique apud Fabritium (1). Illud autem exornavit Græcis characteribus Ptolemæus, cujus initium eſt:

Βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος υἱὸς Βασιλέως
Πτολεμαίου, καὶ Βασιλίσσης Ἀρσινοῆς.

Rex magnus Ptolemæus filius Regis
Ptolemæi, & Reginæ Arſinoes.

Porro hinc perſpicue apparet, propriam, ac vernaculam Ægypti linguam non aliam tunc temporis fuiſſe, quam Græcam; cum extra ſui Regni fines non alia uſos eſſe Ægyptios comperiamus. Atque deinceps factum eſt, ut multi Ægyptum peterent Græcæ cum linguæ, tum litteraturæ comparandæ gratia: quemadmodum de Valentino teſtatur Epiphanius (2). Sed

quid

(1) *Vide Fabric. Biblioth. Græc. Lib.* III. *T.*2. *p.*604.
(2) *Epiph. Hæreſ. XXXI. Cap.* II. *pag.* 164. *aliique.*

quid hanc rem pluribus tuear, atque firmem, de qua nemini eruditorum, ac ne eorum quidem etiam, quos adverſarios hac in controverſia habemus, in mentem venit dubitare? Adiſis vel ipſum Salmaſium in Funere linguæ Helleniſticæ: *Idioma Græcum fuit*, inquit, *in Syria vulgo, & Ægypto uſitatum* (1): vel etiam Huetium, Waltonum, Petavium, Stephanum, Cartheromachum, Emmium, alioſque.

Sed hic ſolvendus remanet Simonii nodus, qui Kircherium ſecutus autumat in Ægypto, præter Græcam, etiam Copticæ linguæ locum fuiſſe. Fatetur ille quidem Ptolemæum Regem Græcam linguam in Ægyptum intuliſſe; putat tamen antiquam Ægyptiorum linguam, quam Copticam eſſe dicit, extinctam nullo modo fuiſſe, ita ut Ægyptii tunc temporis & Coptice loquerentur, & Græce (2).

At Simonio perquam ſatisfecit ejus adverſarius Iſaacus Voſſius his verbis: *Fallitur P. Simonius: cum ne nomen quidem Copticæ linguæ exſtiterit, antequam Arabes potirentur Ægypto. Ipſa quin etiam ſatis teſtatur lingua, quæ ex Græco, & Arabico conflata eſt* (3). Hactenus Voſſius, cujus ſententiam operæ pretium fuerit hoc loco allatis in medium rationum momentis confirmare.

Ac

(1) *Salmaſ. in Fun. pag.* 42.
(2) *Simonius Hiſt. Critiq. du N. T. Chap.* 16.
(3) *Voſſius ad iter. P. Sim. Objecti: Reſp. p.* 350.

Ac primo animadvertendum eſt, Copticum idioma nihil aliud eſſe, quam Græcum corruptum, atque Arabo mixtum. Græcum ajo; nam complura græca vocabula retinuerunt Copti. Quin voces pæne omnes Ἑλληνισμὸν redolent; ipſæque adeo litteræ quantum quidem ad nomen, figuras, & poteſtatem, (ſi paucas excipias) Græcanicæ ſunt omnes, ut hic in ſequenti ſchemate licet animadvertere.

Fig.	*Nom.*	*Por.*	*Fig.*	*Nom.*	*Por.*
Ⲁⲁ	Alpha	A a	Ⲡⲡ	Bi	P p
Ⲃⲃ	Vida	V v	Ⲣⲣ	Ro	R r
Ⲅⲅ	Gamma	G g	Ⲥⲥ	Sima	S s
Ⲇⲇ	Dalda	D d	Ⲧⲧ	Dau	T t
Ⲉⲉ	Ei	E e	Ⲩⲩ	H	E e
Ⲋⲋ	So	S ſ	Ⲫⲫ	Phi	F f
Ⲍⲍ	Zida	Z z	Ⲭⲭ	Chi	CH ch
Ⲏⲏ	Hida	I i	Ⲱⲱ	O	O
Ⲑⲑ	Thida	TH th	Ϣϣ	Scei	SC ſc
Ⲓⲓ	Iauda	I i	Ϥϥ	Fei	F f
Ⲕⲕ	Kabba	K k	Ϧϧ	Chei	CH ch
Ⲗⲗ	Lauda	L l	Ϩϩ	Hori	H h
Ⲙⲙ	Mi	M m	Ϫϫ	Giangia	G g
Ⲛⲛ	Ni	N n	Ϭϭ	Scima	SC ſc
Ⲝⲝ	Exi	X x	Ϯϯ	Dei	DI di
Ⲟⲟ	O	O o	Ⲯⲯ	Ebſi	PS pſ

Ex

Ex Arabis vero innumeras voces adſciverunt Coptitæ, cujuſmodi ſunt:

ⲡⲓⲧⲟⲙⲟⲥ *Pitomos*	Tomus.	الطومس *Ettamus*
ⲡⲓⲭⲁⲣⲧⲟⲥ *Pichartos*	Charta.	القرطس *Elcartàs*
ⲉⲣⲅⲁⲛⲇⲁⲣⲁ *Ergandara*	Centenarius.	القندار *Elcandàr*
ⲟⲉⲕⲁⲣⲑⲁⲗⲗⲟⲥ *Oekarthallos*	Cartallus, ſeu Fiſcella	القرطال *Elcartàl*
ⲧⲁⲱⲟ *Tavoo*	Pavo.	الطاووس *Ettauus*
ⲡⲓⲧⲟⲙⲁⲣⲓⲟⲛ *Pitomarion*	Codex rationum.	الطومار *Ettaumàr*

Et ſexcentæ hujuſmodi, quæ paſſim occurrunt in lexico Coptorum. Sed præter has vult Simonius hujus linguæ fundamentum fuiſſe Ægyptiacam. Verum dicat, quæ, qualiſve fuerit iſtiuſmodi lingua, ut ejus fundamenta in Coptico idiomate videre Simonius poſſit? Aut unde noverit hanc, illamve Ægyptiacam vocem eſſe? Ex nullo ſane auctore. Quare ſi ingenue loqui velit, ignorare ſe illam fateatur oportet; adeo ea de re altum ſilentium apud antiquos; quod Kircherius ipſe non inficiatur, dum ingenue de ea loqui voluit: *Quæ igitur* (verba ſunt Kircherii) *fuerit antiqua*

illa

illa Ægyptiorum lingua, ſi quis ex me quærat, ei facilius quid ſentiam reſpondebo, quam quid ſcripto prodere debeam; cum nullum, quem in hac vetuſtatis nebula ſequar, inveniam. Ita Scriptorum omnium in ea pervidenda caligant oculi; ita altum de ea omnium ſilentium (1). Et licet largiamur Simonio voces illas, quæ Ægyptiacæ creduntur, Ægyptias eſſe (quæ multæ quidem non ſunt); mirandum non eſt, ſi cum antiquiores Egyptii Græcam linguam adſciverint, aliquas primævas voces retinuerint, eaſque poſteris tradiderint. Sicuti mirum non eſt, ſi quæ Latinæ, aut Hebrææ, aut Samaritanæ voces occurrant in Coptica lingua. Non de Latinis, quas facile exceperunt Ægyptii, cum Romano ſubjecti fuerunt imperio, etſi Græce loquerentur. Non de Hebræis aut Samariticis; nam cum Ægyptii religionis ſuæ dogmata obſcuris, ignotisque populo notis abdere ſoliti eſſent; ideo peregrinas voces ab Hebræis, atque Samaritanis mutuabantur. Hinc hieroglyphicæ illæ quarum interpetratio, ac lingua peculiarem ſibi curam vindicabat. Præter quam quod fuit id in more poſitum apud Orientales, qui neſcio quid latentis virtutis peregrinis tribuebant vocibus, quas ideo non patiebantur in aliam linguam verti. Qua de re conſuli vetus Chaldæorum oraculum poteſt,

(1) *Kirchar. in Prod. Copt. C. 5. p. 123.*

eſt, quod Pſellus edidit, atque interpretatus eſt, cujus quidem oraculi verba reperiuntur quoque in Coptorum libris, & lexico.

Præterea notandum eſt, Arabes fines ſuos nunquam prætergreſſos eſſe ante ſeptimum Chriſtianum ſæculum. Hi enim licet generis antiquitate clariſſimi fuerint, attamen in otio ſemper antea delituerunt; quouſque e deſertis locis erumpentes duce Omar I. Hieroſolymorum, & Syriæ, & Ægypti regiones armis invaſerunt, innumerabileſque in Aſia, atque in magna Africæ, & Europæ parte triumphos ſunt conſecuti.

His animadverſis, colligere licet Copticum idioma non aliunde, quam a Græca lingua, idque non prius, niſi poſt Arabum irruptionem, profluxiſſe. Græca enim lingua, ac litteræ, quæ in Ægypto profundas egerunt radices ſub Ptolemæis, viguerunt ad ſeptimum uſque ſæculum. At cum Arabes Ægyptum invaſerunt, ejus regionis linguam adeo corruperunt, atque deformarunt, ut novum quaſi loquendi genus inde exſtiterit. Corruperunt inquam: nam ſive ob victoriarum celeritatem, ſive ob paucitatem coloniarum deductarum, linguam Græcam funditus exſtirpare non ſatis fuere. Ægyptii vero Arabum linguam ſuæ adjicientes, unamque cum altera commiſcentes Copticam hanc procuderunt. Quemadmodum in Syria a

Per-

Perſis occupata ex Græcæ, Perſicæ, & Arabicæ linguæ commixtione orta eſt *Aramea* vulgo dicta, ſeu nupera *Syriaca*, qua hactenus conſcripti ſunt Maronitarum, & Neſtorianorum libri. Neque aliter accidit in Iudæa, aliiſque in locis. Tunc igitur extincta eſt in toſere Oriente Græca lingua, ac litteratura. Tunc etiam natum nomen illud *Coptus*, quod nihil aliud eſt, quam corruptio vocis Αἴγυπτος ſive Αἴκυπτος, quæque in barbarum contracta Κόπτος produxit. Tantum abeſt igitur, ut Ægyptii a Ptolemæis Græce, & Coptice ſimul locuti ſint, quod Simonio viſum eſt, ut potius ex corruptione Græci ſermonis Copticus iſte exſtiterit.

PROPOSITIO III.

Syros a Seleuco Nicatore Græco ſermone uſos.

POſtquam Alexander Syriam occupavit, in eam Græcas colonias plures deduxit, a quibus Ἑλληνισμῦ, qui apud eam regionem deinceps obtinuit, initium repetendum eſt. Alexandro vita functo, ab amicis ejus imperium omne diſciſſum, ac dilaceratum eſt; & Syria quidem obvenit Laomedonti Mytilenæo, qui eodem cum magna Græcorum copia habitatum contendit (1). Cumque

(1) *Diodorus Sic. Lib. 8. Bibl. hiſt. Arrianus apud Photium Lib. x. Cod. 92.*

que in eadem diviſione Seleucus Nicator Macedonici exercitus ſummum tribunatum adeptus fuerit, eo adjutore poſt multa bella, quæ in Oriente geſſit, Syriæ regnum in ſuam ditionem redegit. Ac primum ſtatuta ibi ſede omni conatu Græcorum linguam, & inſtituta invehere, ſeu potius invecta perficere conatus eſt. Græcas urbes, quaqua patet regio, multas excitavit; quarum ſexdecim a patre, ac filio vocavit Ἀντιοχείας; ſex a matre Λαοδικείας; novem a ſe Σελευκείας; quatuor denique ab uxoribus, tres ſcilicet Ἀπαμείας, quartam Στρατονίκην. Aliis urbibus Græca, Macedonicaque nomina indidit, aut ex aliquo ſuo facinore, aut in Alexandri Magni honorem: quo factum eſt, ut in Syria, ceteraque mediterranea terra celebrentur multa vel Græca, vel Macedonica oppidorum nomina, ut videre eſt apud modo laudatum Vaillantium (1). Has vero urbes habitandas dedit Macedonibus, aliiſque Græcis. Quin etiam ad eorum numerum magis magiſque augendum, Athenienſes, & Macedones quinquies mille, & trecentos ex Antigonia (ab Antigono ibi collocatos) Antiochiam tranſtulit, ut ſcribit Strabo (2). Atque ita demum in Syriam, præſertim in inferiorem *Syriam*

B *Palæ-*

(1) *Vaillant in Seleucid. Imp. pag.* 12.
(2) *Strabo Geogr. Lib. XVI. pag.* 750.

Palaſtinam dictam (de qua hic loqui volo) primum ob Alexandri , tum ob Seleuci, ſequentiumque Regum imperium Græca lingua invecta eſt; victique populi ob immenſam coloniarum vim Græcorum inſtituta, & ſermonem amplexi ſunt: qui propterea annum , & menſes Græcis nominibus deinceps appellare , Græcorumque æra uti cœperunt. Quæ (quippe a Seleuco inſtituta) *æra Seleucida* appellata eſt. Deinceps etiam in Syria numiſmata omnia ab inſecutis Regibus Græce cuſa ſunt ; ut ex ſequentibus intelligere licet:



apud Ioan. Foy Vaillant. En ergo Seleuci icon, cujus caput leonina pelle amictum eſt: in poſtica autem parte Iupiter ſedens cernitur dextera victoriolam tenens, ſiniſtra haſtam inverſam cum Græca epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ, *Regis Seleuci* . Similiter Græce numos cuderunt Antiochus So-

Digitized by Google

Soter, Antiochus Deus, Seleucus Callinicus, Seleucus Ceraunus, Antiochus Magnus, ceterique inſecuti Reges. Quibus de rebus operæ pretium eſt adire præ ceteris Vaillantium (1) & Eminentiſſimum Noriſium in eximio opere de anno Syro-Macedonum (2). Atque ex hoc quidem tempore Syros Græce ſcripſiſſe compertum eſt. Atque ut ab ipſo Seleuco Nicatore exordiar; is librum compoſuit περὶ Ἑλληνισμοῦ inſcriptum, ideſt *de Helleniſmo* (cujus verba identidem recitat Athenæus), in quo de ſingulis vocibus, quæ Græci eſſent uſus, & originis diſputabat. Poſidonius Apameenſis vulgo dictus, quod Apameæ natus eſſet, ſcripſit περὶ Ποσειδωνείων σχολῶν, atque alia plurima (3). Iſæus item Syrus natione tam venuſte Græcas orationes compoſuit, ut in iis ſtili Attici leporem mirati ſint veteres. Quam eleganter, & acute Græce ſcripſerit Lucianus notius eſt, quam ut hic oratione mea ediſſeram; hunc ipſum autem Syrum fuiſſe nemo eſt, qui neſcit. Denique, ne longum faciam, Græco ſermone ſcripſere Iamblichus, Nicomachus Arimedeus, S. Lucianus Antiochenſis, Meleager, Lucas Evangeliſta, aliique, quorum nomina ſi recenſere velim,

(1) *Vaillant. in Hiſtoria Seleucidarum.*
(2) *Noriſ. Tom. II. In Diſſert. de Anno Syro-Maced.*
(3) *V. Meurſium Lib. II de Rhodo Cap. XII.*

concubium ſit noctis prius, ut ait Plautus, quam ad poſtremum perveniam.

Sed dicet hic fortaſſe quiſpiam, quid? S. Ephremus nonne natione Syrus fuit? atqui is tamen Syro, non Græco ſermone ſcripſit: quod teſtatur Hieronymus (1), & Photius (2). Præterea Antiochi IV, ac Demetri II Syriæ Regum numos, quos aut Phœnicii cuderunt, aut ipſi ſibi cudi juſſerunt, non omnes Græce inſcriptos videmus, ſed partim Græca, partim Phœnicia lingua; ac ſunt, qui Phœniciis tantum characteribus inſigniti ſunt; cujuſmodi nonnullos proferunt Spanhemius, (3) Vaillantius (4), & noviſſime clariſſimus Abbas Barthelemy, qui nuper Pariſiis obſervationes quaſdam ſuper ejuſmodi numis vulgavit (5).

Sed neutrum horum quidquam nobis negotii faceſſit. Hic enim de Syria Palæſtinæ cis Euphratem ſermo nobis eſt; quam ad ſeptentrionem claudebat Cilicia, & Cappadocia, ad ortum Euphrates amnis, ad meridiem Arabia Petræa, & Iudæa, ad occaſum mare Mediterraneum. Hanc itaque utpote

(1) *Hieronym. in Catal. Script. Eccleſ. Cap.* 115.
(2) *Photius in Bibliotheca*, Codice 169.
(3) *Spanhem. De uſu & præſt. Numis: Diſſ.* 2.
(4) *Vaillant in Hiſt. Reg. Syr. p.* 106. 109 151.
(5) *Lettre de M. l' Abbè Barthelemy a Meſſieurs les Auteurs du Iournal des Scavans ſur quelques Medailles Pheniciennes.*

pote quæ Græcis coloniis frequentata erat, ſuſcipiendi Helleniſmi Iudæis cauſſam fuiſſe dicimus. Quod infra pluribus perſequemur. S. Ephremus autem natus eſt Edeſſæ in Meſopotamia trans Euphratem; quæ regio etſi Syriæ item nomine veniret, parſque ejus olim omnino eſſet; tamen a Syria, de qua loquor, non parum aberat. Quare quid mirum, ſi in eam Græcus ſermo non tam facile penetraverit? ejuſque regionis incolarum nonnulli Syriace tantum locuti ſint Græcæ linguæ ignari? Et quidem in actis ſynodi Chalcedonenſis legere memini poſtulationem, quam clerus Edeſſenus miſerat ad concilii patres; eique major cleri pars Græce ſubſcripſit; ſed plures Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi Syriace ſubſcripſiſſe leguntur, καὶ ἡ ὑπογραφὴ Συρ ακή (1). In iiſdem actis legimus interfuiſſe concilio Vranium Epiſcopum Meſopotamum, cui is qui aderat interpetrabatur Syriace quidquid a patribus Græca lingua proferebatur (2). Et Theodoretus laudat Abrahamum quemdam Charrarum in eadem Meſopotamia Epiſcopum, qui ne intelligere quidem poterat linguam Græcam (3). Quid ergo mirum, ſi S. Ephremus Edeſſenus natione Syriace multa ſcripſerit?

B 3 Ad

(1) *V. Acta ſyn. Chalced. Act. X. pag. 250. ad 256.*
(2) *Ibid. pag. 219. ad 222. T. VII. ex edit. P. Manſi.*
(3) *Theodoretus in Hiſt. Relig. Cap. 17. p. 840. Tom. 3.*

Ad numos quod attinet, vix equidem perſuadere mihi poſſum, qui duplici lingua, & charactere Græco, & Phœnicio, ſive uno Phœnicio inſcripti reperiuntur, genuinos eſſe. Poſtquam enim Alexander Macedo, ac ſucceſſores ejus Phœniciam tenuerunt, priſcus Phœniciorum ſermo prorſus evanuit, & in ejus locum Græcus ſucceſſit, ut alium omnino nullum exinde Phœnicii adhiberent, præter Græcum. Qua de re teſtem appello præclara duo illa monumenta apud Gruterum, in quibus habetur epiſtola Phœniciorum Puteolis degentium, quam ordini, populoque Tyri miſerunt, & horum reſpónſio ad illos; quæ non aliter quam Græce ſcriptæ ſunt (a). Præterea innumeros invenimus Tyriorum, Sidoniorum, ceterorumque Phœniciorum nummos apud rei nummariæ ſcri-

(a) Monumenta hæc pluribus mendis inquinata habes in Gruteri Theſauro (1). Sed ea oppido quam emendata, ac Latine inſuper verſa reperies in quantivis pretii opere, cedroque linendo, *I Fenicii primi abitatori di Napoli* (2), nuper edito a Duce Michaele Vargas Macciucca nobiliſſimo juvene, longeque ornatiſſimo, qui veſtigia clariſſimi patrui Equitis Franciſci Vargas Macciucca viri de literis, de literatis hominibus, deque re Neapolitana omni publica optime meriti premens, πατρίας ἀρχαιολογίας diuturno labore, ſummoque ſtudio illuſtrat decoratque.

(1) *Gruterus in Theſaur. Inſcript. pag. MCV.*

(2) Dell'antiche colonie venute in Napoli *pag.* 331. 333.

ſcriptores, eoſque non aliter, quam Græca inſcriptione cuſos. Qua de re videas licet vel ipſum Vaillantium iſtorum numiſmatum patronum (1), ut ceteros taceam. Ac demum in iis nummis uſurpata quoque legitur epocha Seleucidarum, quam ſub Romanis Imperatoribus adhuc ſervarunt Phœnicii. In his ego dum eſſem, non parvam voluptatem cepi, cum opinionem hanc meam confirmatam reperi a graviſſimo viro Otthone Sperlingio, cujus hæc ſunt verba: *Poſtquam Græci Tyrum occuparunt, ibique monetam, & monetæ domum erexerunt* τετραδράχμους *numos percutiendo. Hæc cauſſa eſt, cur Tyrii illi numi apud Ioſephum, Græci, & Græcis characteribus, non vero Hebraicis, aut Syriacis, aut Tyriis vetuſtis inſigniti fuiſſe judicari debeant. Poſtquam enim Alexandri Magni ſucceſſores, & Græci Syriam tenuerunt, & Græce illic locuti ſunt, & non niſi Græce ſcripſerunt, & Græcorum moribus res omnes adminiſtrarunt; ergo numos quoque, omniſque Tyria, vel Phœnicia ſcriptio vetuſta, & inſcriptio evanuit, ac periit.* (2). Et quamvis genuinos hujuſmodi numos fuiſſe demus, nihil tamen nobis incommodant. Quid enim? De Phœnicia nos

 hic,

(1) *Vaillant Hiſt. Reg. Syr. p.* 81. 86. 131. 132. 150. *V. Noris Diſſert. IV. de Epoch. Syro-Maced. Cap. III. IV. V.*
(2) *Sperlingius de Num. non cuſis pag.* 51.

hic, an de Syria loquimur? utique de hac altera, in qua quidem, ſine ulla dubitatione Græcus ſermo vernaculus erat eo tempore; deque ea merito laudatus Vaillantius ait: *Seleucus Nicator Syria occupata, in ea dominationis ſedem meditans, non ſolum, ut tradit Appianus, plurima nomina Græca urbibus Syriæ impoſuit, ſed & linguam Græcam populis communicavit, & in publicis monumentis uſurpare juſſit &c.* (1). Neque aliter Noriſius, inquit, *Cum Seleucus, Nicator occiſo Antigono Syriam occupaſſet, ac plures ab ſe ibidem aut conditas, aut reſtauratas urbes, milites Macedones colonos deduxiſſet; Syri Victoris populi inſtituta amplecti, eorum ſermone uti, annumque, ac ejuſdem menſes Macedonicis nominibus appellare cœperunt* (2). Idipſum uno ore confirmant Ioſeph Stephanus (3), Salmaſius (4), Emmius (5), atque eruditi fere omnes; quorum verba parcam proferre, ne quis me Criſpini ſcrinia Lippi compilaſſe putet.

Sed placet nunc tandem auctoritatem majorem, ſanctioremque huic diſputationi arceſſere ab divinis paginis, quæ quidem Syriam, atque Ægyptum, eiuſdemque incolas

(1) *Vaillant in Hiſt. Reg. Syriæ pag.* 109.
(2) *Noriſ. de An. Syro-Maced. Diſſ.*1. *Cap.*III.*pag.*38.
(3) *Stephanus Com. ad C.*1. *Lib.I. Mach. p.* 49.
(4) *Salmaſius in Fun. Ling. Hell. p.* 42.
(5) *Vbbo Emmius de Græcia Vet. Lib.* 6.

las paſſim Græca regna, Græcoſque homines appellant. Et ſane auctor libri primi Machabæorum poſtquam retulit, quemadmodum Iudæi Ægyptiorum, Syrorumque dominatum ſubierunt; hæc habet: *Elegit Iudas Eupolemum, & Iaſonem, & miſit Romam conſtituere cum illis amicitiam, & ſocietatem, & ut auferrent ab eis jugum Græcorum;* quorum nomine Ægyptios, & Syros complexus eſt (1). Auctor vero libri ſecundi Syros mores in Iudæam admiſſos ἀκμήτις Ἑλλησισμοῦ *vigor Græcitatis;* & paullo poſt Syrorum glorias vocat *glorias Græcas* (2). Sic denique legitur libro quarto qualiſcunque tandem habenda illi fides ſit (3). His autem prævit Daniel, qui Syriam, & Ægyptum tanquam Græci imperii partes, in quas fuit diviſum, contemplatus eſt (4). Immo ubicunque locutus eſt de regnis Chriſti adventum anteceſſuris, nullum attentius ſpectaſſe videtur, quam Syriam, & Ægyptum, quas inter ſita erat Iudæa, & a quibus novos mores, inſtituta, ac linguam Iudæi erant recepturi. Sic pariter Zacharias (5). Neque aliter Hebræus Ioſeph qui Ægyptios, ac Syros pluribus in locis Macedonum nomine appel-

(1) *Lib. I. Mach. Cap. VIII. v. 17.*
(2) *Lib. II. Mach. Cap. IV. v. 13. & 15.*
(3) *Lib. IV. Mach. Cap. IV. v. 3, & 5.*
(4) *Daniel. Cap. VII. v. 6. Cap. VIII. v. 8. & alibi.*
(5) *Zacharias Cap. VI. v. 3.*

pellavit (1). Denique, ut verbo me expediam, Arrianum, Dexippum, Strabonem, Appianum, Curtium, Iuſtinum, omneſque alios tum recentes, tum veteres ſcriptores ſic quoque feciſſe invenimus, qui Ægyptios, & Syros Græcorum nomine vocaverunt; quorum teſtimonia, ne major thylaco adceſſio fiat, miſſa faciam. Quibus quidem poſitis pronum eſt colligere Iudæos tum quod eorum regio uſquequaque Syris coloniis referta fuit, tum quod ejuſdem regionis incolæ ab illis ſæpius fuerunt in ſervitutem redacti, tum propter Syriæ, & Ægypti vicinitatem, frequentemque cum harum regionum gentibus uſum; maxime vero quod annos circiter centum nonaginta Græcum jugum paſſi ſunt, Iudæos, inquam, Græcum ſermonem recepiſſe, id quod fuſius oſtenſurus ſum ſequenti Capite.

C A P V T II.

Iudæos Græcam linguam a Græcis, Ægyptiis, ac Syris recepiſſe.

QVod igitur fundamentum erat hujus operis, hactenus jactum eſt Capite ſuperiori; nunc ad propoſitum venie-

(1) *Joſeph. Lib. XIII. Antiq. pag.*631., 634, 635, 638.

niemus. Meminerimus autem in primis, Iudæos ab peracto captivitatis Babylonicæ tempore Syriace fuiſſe locutos. Nunc quemadmodum Græcus ſermo in eorumdem regionem a Græcis, Syris, atque Ægyptiis invectus fuerit, hoc Capite ediſſeremus.

Hellenismi primordia inducta in Iudæam ſub Alexandro M.

I. Anno mundi MMMDCLII, ante Chriſti æram CCCXXXII Alexander Macedo cum ſuo exercitu in Iudæam profectus eſt. Cumque acceſſiſſet Hieroſolymam, & Iudæos ſub ſuam poteſtatem redigere vellet, Iaddua tunc Pontifex aperiens portas civitatis cum choro Sacerdotum ei obviam ivit, amiceque eum excepit. Ille ubi Pontificem aſpexit, ſolus ad eum acceſſit, ſalutatoque Pontifice, Dei nomen, quod is in tiara inſcriptum gerebat, veneratus eſt, profeſſus ſe in Macedonia eadem ſpecie, qua ſummus Pontifex ſibi obviam prodierat, Deum vidiſſe, qui ſibi de Perſis victoriam pollicitus erat. Quapropter eidem templum ingreſſo, Sacerdotes Danielis librum oſtenderunt, ubi vaticinabatur Propheta, fore ut Græcus Imperator Perſarum imperium occuparet (1). Hunc ipſum Alexander ſe eſſe exiſtimans, lætus Deo victimas immolavit. Ad hæc Iudæos, ſi ſe ſequi vellent, invitavit, eiſque veniam dedit religionis ſuæ libere profitendæ. Quibus pollicitationibus illecti Iudæorum quamplurimi,

(1) *Daniel Cap. VIII. v. 7. 20. 21.; & Cap. XI. v. 13.*

rimi, ejus militiæ nomen dederunt, eumque ſecuti ſunt (1). Ex quo quidem tempore non modo magnus Iudæis cum Græcis uſus, ac neceſſitudo interceſſit (2), verum etiam Græciſmi primodia in Iudæam induci cœperunt, plane ac ſi Græco imperio ſubjecti eſſent (3). Hinc in Chronico magno Samaritanorum (4) legimus, Iudæos deinde, ac Samaritanos infantes ſuos recens natos Alexandri nomine appellare cœpiſſe. Tandem anno decimotertio regni Alexandri cum Iudæi, qui eum ſecuti fuerunt, reſtituendo Deli fano, quod Alexander jubebat, noluiſſent operam præſtare, cenſentes id ſibi per patrias leges minime licere: idcirco Alexander ſuperſtitionem eis condonans omnibus abeundi veniam dedit (5). Atque hi quidem cum octo circiter annis in Græco exercitu ſtipendia meruerint, poſtquam in Iudæam reverſi ſunt, Græcorum linguam ſecum tulerunt.

Alexander Samariæ collocat Macedones.

II. Quocirca annus idem ante Chriſtianam æram CCCXXXI Samaritani tumultuantes Andromachum, quem Alexander præfecerat Syriæ,

(1) *Ioſeph Lib. XI. Antiq. Cap. ult. §. 5. pag. 581. 582.*
(2) *Vide Huetium Dem. Evang. Prop. IV. Cap. 12. §. 1.*
(3) *Ex Propoſitione* 1. *Capitis ſuperioris.*
(4) *Chronicon Samaritanum Cap. 44. Hoc manuſcriptum adhuc latet in bibliotheca Leidenſi ex Hebræa lingua in Arabicam converſum, ſed charactere Samaritano deſcriptum. Vide excerpta ejuſdem apud Hottingerum Hiſt. Orient. p. 60. ſ. 131. & in exercitat. Anti-Morin. p. 64. ſ. 106.*
(5) *Hecatæus Abder. apud Ioſ. Lib. 1. c. Apion. §. 22. p. 456.*

Syriæ, vivúm cremaverunt domi. Quod cum nuntiatum eſſet Regi in Ægypto, is magnum animo cepit dolorem (1). Quare ad hujus interitum vindicandum eo, quam celerrime fieri potuit, contendit; ibique qui Prætorem interemerant ultimo ſupplicio affecit, reliquos autem Samaritanorum pelli urbe juſſit, quam Macedonibus ad inhabitandum tradidit (2). Regionem autem Samaritidam a tributi penſione immunem adjecit Iudæis expertis fidelibus, ut tradit Hecatæus Abderita (3). Sic porro Iudæis, vel propter Samariæ viciniam, cum Græcis conſuetudo frequentior interceſſit.

pulſis inde Samaritanis.

III. Mortuo in ipſo ætatis flore Alexandro, imperium ejus omne multipliciter diſſectum eſt. Iudæam poſt varios caſus, proditione obtinuit Ptolemæus Soter Ægypti Rex (4), qui anno mundi MMMDCLXXXIV, ante Chriſti æram CCCXX die ſabbati ſub obtentu ſacrificii Hieroſolymam ut ingrederetur poſtulavit: cumque ingreſſus eſſet, non modo urbe nullo labore potitus eſt, eamque ſane quam inclementer habuit, verum etiam centum Iudæorum millia in ſervitutem aſſerens ſecum in Ægyptum adſportavit (5). Eorum autem par-

Septuaginta millia Iudæorum Græcam linguam in Iudæam inferunt.

(1) *Quin. Curtius Lib. IV. cap. 8. n. 9. 10.*
(2) *Euſeb. in Chron. A. 1685. Olym. CXII. pag. 177.*
(3) *Hecatæus apud Ioſ. lib. II c. Apion, §. 4. p. 472.*
(4) *Ioſeph lib. XII. Antiq. Cap. 1. pag. 584.*
(5) *Apud Ioſ. ibid. Agatharchides Cnidius pag. 585.*

partim inter Macedones Alexandrinos agere juſſit; reliquos militibus, aliiſque Ægyptiis in ſervitutem conceſſit. Illic quidem Iudæi Græcum ſermonem recipere (qui tunc vernaculus erat in Ægypto, ut dictum eſt ſuperius) eumque vulgo uſurpare coacti ſunt, quod jam monuit Huetius (1), aliique eruditi. Sed & adnotavit Scaliger, Iudæos illos coactos fuiſſe etiam in conventis, & ſtipulationibus Græco ſermone uti (2). Cum autem Ptolemæus Soter vita functus eſſet, ſucceſſit ei filius Ptolemæus Philadelphus regiis virtutibus ſupra omnes ætatis ſuæ, ſuperiorumque ætatum Princeps nobilis, nedum patre Sotere longe humanior, ut teſtatur Philo (3). Is autem cum videret Iudæos contra jus faſque captos ab ejus patre fuiſſe; ſeu militari potius impetu, ac per proditionis crimen ſubactos, ſtatim eos ex ærario redimi, ac liberos, ſi vellent, Hieroſolymam redire juſſit. Atque hoc crediderim pſeudo-Ariſteæ præbuiſſe fabulandi anſam, Ptolemæum Philadelphum Iudæos hoſce redemiſſe impetrandæ legis gratia, qui revera liberati ſunt dumtaxat ex ipſius magnanimitate, ambitioneque omnes ſibi populos adſtrin-

(1) *Demonſtr. Evang. Prop. IV. de Lib. II. Mac. §. 1.*
(2) *Scaliger in epiſtola XI. ad Seguinum Lib. 1. p. 100. Salmaſius in Funere linguæ Helleniſticæ p. 158.*
(3) *Philo Iudæus de vita Moſis p. 658.*

ſtringendi (*a*). Numerus eorum, quibus libertas data eſt, ſupra centies mille fuiſſe memoratur: quorum triginta millia, quod ætate, & viribus præſtarent in militiam adſcivit; quoſdam apud ſe retinuit, quibus aulam commiſit; ceteris autem (quos præterpropter ad ſeptuaginta millia fuiſſe reor) in Iudæam ut ſe reciperent permiſit (1). Id quidem teſte Vaillantio (2) evenit ducenteſimo anno, & ſeptuageſimo tertio ante Chriſti æram; ſeptuaginta ſeptem annis poſtquam Ptolemæus Soter Iudæos in Ægyptum duxerat. Ex quo fit, Iudæos hoſce, quos Philadelphus liberos abire juſſit, non eoſdem fuiſſe, quos eius pater a Iudæa abſtraxerat, temporis diuturnitate jam demortuos, ſed alios; hoc eſt eos quos, dum in Ægypto ſervitutem ſerviebant, ex ſuis uxoribus ſuſceperunt. Hi igitur Iu-

dæi

(*a*) Vix dici poteſt quot commentis, & fabellis hiſtoriam hanc exornant Ioſephus, & ſuppoſitus Ariſtæas locis infra indicandis (a). Qui dum Iudaicum nomen augere ſtudent, undique corrogatis laudibus mactant, nec non ſe ipſos reprehendendos, & deridendos præbent. Qua de re vide quæ in extremo hoc libro adnotavimus.

(1) *Vide Joſeph. loc. cit.* §. 2. *pag.* 586.
Auguſtin. Lib. 16. *de Civ. Dei Cap.* 42.
Sgambatum Lib. III. *Archiv. Vet. Teſt. Tit.* III.
*Calmet. Hiſt. de la Bible, & des Iuifs A.M.*3727.

(a) *Ioſeph. lib. XII. Antiq. C.* 2.
Ariſteas in edict. Regis, & ep. ad Eleaz

(2) *Vaillant Hiſt. Regum Ægypt. pag.* 18., *& ſeq.*

dæi ſeptuagies mille circiter, quippe qui inter Græcos adolevere, atque ubi Græca lingua erat vernacula, Græcum ſermonem in patriam ſecum duxere. Quapropter Helleniſmum per alios illatum in Iudæam magis provexerunt.

Iudæi e Syria reduces Græcam linguam inferunt in Iudæam.

IV. Hunc autem Antiochus Magnus Rex Syriæ inſecutis temporibus auxit: quod ut palam fiat, juvabit rem altius, atque ab ſuo veluti capite arceſſere. Conſtat, Seleucum Nicatorem in conditas a ſe per inferiorem Syriam urbes, in ipſam denique Metropolim Antiochiam multitudinem Iudæorum tranſtuliſſe, eoſque pari conditione habitos illic eſſe, ac Græcos, & Macedones ibi collocatos, ut teſtatur Ioſeph in antiquitatibus (1), quem videſis, & Euſebius in chronico, cujus hæc ſunt verba; Ο῾ Σέλευκος ἐν ταῖς νέαις πόλεσιν Ιουδαίους συνῴκισεν Ε῞λλησιν, καὶ πολιτείας αὐτοὺς ἠξίωσε, καὶ τοῖς ἐνοικισθεῖσιν ἰσοτίμους ἀπέδειξε, *Seleucus in eas urbes, quas exſtruxerat, Iudæos transfert, jus eis civium, & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens* (2). Cum autem ab Alexandri morte Iudæa aſſiduis bellis, & incurſionibus nunc a Syriæ, nunc ab Ægypti Regibus pulſaretur, nec aliter profecto jactaretur quam *minuta magno deprenſa navis*

(1) *Ioſeph Antiq. Lib.* XI. *Cap.* 3. §. 1. *p.* 596.
(2) *Euſebius in Chron. A.* 1726. *Olym.* 122. *p.* 180.

vis in mari, *veſaniente vento*; iccirco ejus incolæ in Syriam confugiebant; videlicet ubi norant civibus, ac popularibus ſuis bene eſſe. Atque hi omnes linguam regionis illius perdidicere, quod faciunt qui in extera regione ſedem figunt (1); iidemque fuere bilingues Chaldaice, & Græce ſcientes. At ejus poſteri ibi orti una Græca, utpote vernacula, contenti, alteram facile neglexerunt. Anno tamen CXCVIII. ante Chriſtianam epocham dum Antiochus Magnus operam daret, ut iterum Palæſtina potiretur, quam antea ab Ptolemæo Epiphane abſtraxerat; Iudæi ab Ægyptiis deficientes ultro ſe dedunt Antiocho, eumque in urbem admittunt, & ejus omni exercitui, & elephantis omnia abunde ſuppeditant, relictoſque ab Ægyptio duce in arce Hieroſolymitana præſidiarios oppugnantem ſtrenue adjuvant. Quibus officiis Rex delinitus magnam Iudæis gratiam retulit. Nam Hieroſolymitanum templum ſuis ſumptibus reficiundum curavit; atque in ſacrificia largitus eſt argenteos vicies mille, & quadrigentos, ſalis medimnos tercentum ſeptuagintaquinque, præter alia, quæ ad elegantiorem templi apparatum opus erant. Iudæam inde multum ad eam diem adverſis caſibus labefactatam recreavit, auctis ædificiis, arcibuſque muni-

 tis:

(1) *V. Fleuri Mœurs des Iſraëlites Par.* III. *Chap.* III.

tis. Ac tandem in urbes ipſas, ne diutius civibus, ac cultoribus viduarentur, quam maximam potuit Iudæorum vim ab Syria avocatam tranſducendam curavit. Quod illi omnino ex ſententia ceſſit: nam cum beneficiis, & immunitatibus affeciſſet quoſcunque in Iudæam redire vellent, continuo innumerabiles Iudæorum familiæ a Syria in Iudæam ſeſe denuo receperunt (1). Atque ex his reducibus quidem alii filii, aut nepotes fuerunt eorum, quos XCIV. ante Seleucus Græcas urbes habitare juſſerat: alii aut filii, aut iidem ipſi, qui multis retro annis in Syriam confugerunt, ut modo dixi. Sed omnes nihilominus, quippe qui tamdiu cum Græcis conſueviſſent, Græcitatem in Iudæa longe lateque propagarunt. Præterea Græcorum epocham eo invexerunt, quam vulgo *æram Seleucidarum* dicimus: quam deinde ad numerandos annos, tabulas, & hiſtorias ſignandas adhibuerunt. Hinc eam Rabbini poſteriores appellarunt תור שטגום *æram contractuum* (2). Ad hæc inſtituta, ac ſcelera quædam Græcorum peculiaria invexerunt: velut Olympiacos, Iſthmioſque ludos, & nefandam *τὴν παιδεραςίαν*, ut monet auctor libri ſecun-

(1) *Ioſephus lib. XII. Antiqu. Cap. 3. p. 598.*

(2) *Vide Ioan. Mayerum de Temporibus ſacris Par. I. Cap. VII. apud Ugolinum T. 1. qui putat perduraſſe uſque ad Moſis Bar-Maimonis ætatem, ejuſve vitæ finem, qui mortuus cenſetur an. Chriſti MCCI.*

ſecundi Machabæorum ; qui poſtquam narravit , quo pacto Iaſon conſtituit in Iudæa gymnaſia & ephebia, quod mox exponam, ſic pergit : Ἦν δ' ὕτως ἀκμή τις Ἑλληνισμοῦ , καὶ πρόσβασις ἀλλοφυλισμοῦ : *Erat autem is vigor Græcitatis , ac proceſſus ad peregrina inſtituta*. Et ut vulgata Latina habet: *Erat autem hoc non initium, ſed incrementum quoddam, & profectus gentilis , & alienigenæ converſationis propter impii Iaſonis nefarium , & inauditum ſcelus* (1) .

Iaſon nititur traducere Iudæos ad ritus Græcanicos.

V. Mortuo Antiocho Magno, atque eius ſucceſſore Seleuco centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo ante Chriſtum, ac centeſimo vigeſimo ſeptimo Græcorum anno, Pontifice Onia III , Antiochus Epiphanes Syriæ regnum adeptus eſt . Ieſus autem Oniæ frater ejus pontificatum ambiens novum Regem adiit, a quo grandi pecunia non ſolum pontificatum maximum mercatus eſt ; ſed & facultas ei tributa , ut Hieroſolymis gymnaſium , & epheborum ludum conſtitueret, Iudæique in civium Antiochenorum numerum referrentur . Quare Hieroſolymam reverſus, fratriſque ſui pontificatum adeptus, Iudaicam gentem a patriis inſtitutis avocare , eamque ad Græcanicos mores pro virili niſus eſt traducere : cujus rei cauſſa magnam ſecum multitudinem ex Syria avexerat.

(1) *Lib. II. Mac. Cap. IV. v.* 13.

rat. Principio itaque, ne cives ſui in aliqua re a Græcis diſcreparent, Antiochenos eos haberi, & appellari juſſit. Tum ſub Syonis arce gymnaſium conſtruxit, in quo Iudæi nudi ſe in palæſtra, & luſta Græcorum more exercerent. Denique officinam etiam præpoſteræ libidinis conſtituit. Quare ſtatim Iudæi patrias leges deſerere cœperunt, novis moribus imbui, æmulari ludos, ritusque Græcanicos, in iiſque alter alteri præſtare, ac prior eſſe, idque *ita ut Sacerdotes* (verba ſunt auſtoris libri ſecundi Machabæorum) *jam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo, & ſacrificiis negleſtis, feſtinarent participes fieri palæſtræ, & præbitionis ejus injuſtæ, & in exercitiis diſci. Et patrios quidem bonores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur. Quarum gratia periculoſa eos contentio habebat, & eorum inſtituta æmulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos hoſtes, & peremptores habuerunt. In leges enim divinas impie agere impune non cedit* (1). Quin imo eo uſque proceſſit Iudæorum φιλελληνισμός, ut ne nudi quidem in gymnaſiis a Græcis internoſci poſſent, neve ſuperior colis pellicula reſeſta videretur, modum excogitavere præputia ſibi adducendi (2). Etenim in-

(1) *Ibid. v. 14. ad 17.*
(2) *Lib. I. Mach. Cap. 1. v. 16.*

inſtrumento quodam attractorio infernam membri cuticulam eouſque attrahebant, quouſque glandem rurſus contegerent: quamvis arte medica id fieri poſſe negavit Hippocrates (1). Atque ex his omnibus conjici facile poteſt, quam late tunc obtinuerit in Iudæa Græcus ſermo, maxime cum ne a Græcis quidem nominibus ſibi faciendis abſtinuerint, quemadmodum in ipſo Pontifice animadvertere licet, qui Hebraicum nomen ישוע *Ieſus in Iaſonem* convertit, ſeque Ἰάσονα vocari voluit.

VI. Interjecto triennio, ex quo Iaſon ſolio pontificio incubabat, venit ei in mentem quemdam Oniam templi Præfecti fratrem legare ad Antiochum, qui ei pactam Sacerdotii mercedem deferret, eumque de Iudææ rebus, quo loco eſſent, commonefaceret. Onias Iaſone ipſo nequior pecuniam illam non Iaſonis, ſed ſuo nomine Regi obtulit; cui & trecenta inſuper talenta addidit, ac ſic pontificatum maximum indeptus eſt. (2). Hoc in Iudæam reverſo, quod neceſſe fuit fieri, orta ſtatim contentio eſt inter eum, & Iaſonem, ac dum

Helleniſmi progreſſus ſub Pontifice Menelao.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus;
ab Onia quidem ſteterunt filii Tobiæ, maxima

 tamen

(1) *Hippocrates ſect. VI. Aphoriſ. 19. At contraria docuerunt Celſus lib. VII. Cap. 25.; Galenus lib. 14. Methodi Cap. 16.; Paulus Æginet a lib. 6. Cap. 53.*

(2) *Lib. II. Mach. Cap. IV. v. 23., & ſeq.*

tamen populi pars Iaſonem ſecuta eſt. Onias itaque ejuſque aſſeclæ (ut tradit Ioſephus (1)) ad Antiochum ſeceſſerunt, eique confirmaverunt velle ſe, relictis omnino patriis inſtitutis, Græcanicam prorſus reipublicæ formam complecti, ac Græcanicos mores tenere. Quod quidem adeo φιλέλληνι Regi volupe fuit, ut ad reprimendam Iaſonis factionem multis militibus comitatos eos dimiſerit. Quid plura? Ceſſit Iaſon, qui ad Ammonitidem ſeſe recepit. Onias autem rerum potitus nihil antiquius habuit, quam ut quæ Regi ſe facturum verbo receperat, re præſtaret. Atque hujus quidem oura quantopere Helleniſmum apud Judæos invaluiſſe oportuerit, quis non videt? Qui eo etiam amentiæ devenit, ut Iaſonis exemplo nomen & ipſe Oniæ abdicaverit, ſeque Menelaum exinde appellari voluerit (2).

Antiochus Epiphanes conatur ſtabilire Helleniſmum in Iudæa.

VII. Sed hactenus levia; potiora nunc videamus, quæ videlicet Antiochus Epiphanes hujuſce rei ergo in Iudæa geſſit. Quod priuſquam enarrare aggredimur, de ejuſdem Epiphanis moribus lectorem admonendum reor. Fuit hic ſane quam immani, ac feroci ingenio; idem inſolens, ac ſuperbus ſupra quam cuiquam credibile ſit, atque quacunque in re, quam inceptaret, ſupra mo-

(1) *Ioſeph. L. 12. Antiq. Capite V. p. 608.*
(2) *Vide Joſephum loc. cit.*

modum pertinax; tanto autem mentis ſtupore, ac fatuitate, ut eum non Ἐπιφάνην quidem, hoc eſt *Illuſtrem*, ſed Ἐπιμανῆν *Furioſum* veriſſime appellarit graviſſimus auctor Polybius (1). Iam hic Græcarum quidem rerum ſtudioſus fuit admirandum in modum. Etenim poſtquam Syriam adeptus eſt, nihil tam valde molitus, quam ut Iudæos Græcos redderet, ita ut eos non modo Græca inſtituta, verum etiam Græcam linguam amplecti cogeret. Teſtantur id vel ethnici ſcriptores, Polybius (2), & Tacitus, qui ait: *Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Græcorum dare adnixus, quominus teterrimam gentem* (Iudaicam nempe) *in melius commutaret* (3). Quare quæ in Iudæa ad Helleniſmum propagandum valere poſſe cenſuit, eorum nihil prorſus omiſit, nullis parcens laboribus, minis, ſuppliciis, præmiis, dolis, ſed ne precibus quidem, ſi quidem eis ad quæ in mente haberet perficienda opus eſſe intelligeret, uti mox oſtendam. Itaque centeſimo ſeptuageſimo primo ante Chriſtum anno, ac quinquennio poſtquam regnare cœperat, rediens Antiochus Alexandria magno cum exercitu Hieroſolymam venit: ubi (ut ſcribit Sulpicius Severus (4)) cum Iudæos in

(1) *Polybius apud Atheneum Lib.5. Cap.3. p. 193.*
(2) *Polybius apud Photium in Biblioth. Cod. 244.*
(3) *Tacitus Lib. V. Hiſtor. num. 8.*
(4) *Sulpicius Sever. Hiſt. ſac. Lib. II. Cap. 18. p. 215.*

diverſa abeuntes ſuper Græcis inſtitutis ſervandis offendiſſet, illis quidem, qui eadem religioſe ſectebantur, impenſe favit, ceteros Iudaiſmi tenaces morti dari juſſit. Quare tridui admodum ſpatio octoginta millia hominum Hieroſolymis deſiderata ſunt; nec non quadraginta vincta, totidemque venundata (1). Poſt hæc templum ingreſſus Antiochus Menelao duce ſacrificium Græco ritu peregit; ac tandem mille, & octingentis e templo talentis ſublatis, Antiochiam reverſus eſt (2). Interim ne ſuperſtites Iudæi in ſuſcepto Helleniſmo quoquam deficerent, ſtatuit illic Præfectos quoſdam cum Græcis militibus. Hieroſolymis quidem Philippum, Garizimis vero Andronicum, quibus utriſque præeſſe voluit φιλέλληνα Menelaum. Quibus rebus factum eſt, ut vel ſua ſponte Iudæi, vel metu etiam adacti, non modo Græca lingua uti, ſed etiam Græcanica inſtituta ſequi perſeverarent.

Hieroſolyma referta colonis Græcis.

VIII. Duobus annis poſt monitus fortaſſe Antiochus Iudæos aliquot ad patria inſtituta fuiſſe reverſos, miſit eo Apollonium tributorum Præfectum cum viginti duum millium Macedonum exercitu. Apollonius ubi Judæam tenuit, cohibuit ſe tamdiu, quouſque ſabbati dies illuceſceret. Cum vero animadvertit

(1) *Lib. II. Mach. Cap. V. v. 14.*
(2) *Lib. I. Mach. C. 1. v. 23. 24. Lib. II. C. V. v. 15. 22.*

vertit nonnullos Iudæorum ſabbatum ſervare; repente impetum fecit in urbem, eamque cum armis pervagatus, quoſcunque ad Iudaica ſacra proceſſiſſe conſtabat, morte affecit; tum urbem igne ſuccendit, domibus, ac mœnibus ſolo æquatis. Ad hæc in Syone, ſive Davidis civitate murum magnum turribuſque munitum ædificari juſſit (1), in qua Macedonum militum manum (ut tradit Ioſephus (2)) collocavit, qui quidem populum in officio continerent, ne ab Helleniſmo deficeret, ac Regis imperata prætergrederentur. Atque hunc quidem locum illi pro arce habuerunt Græce Ἄκραν ideſt *ſummitatem* appellatum, ut ſcribit Ioſephus: Τοῦτο δὲ τοῦ ἄστεως τὸ μέρος, Ἄκρα, κέκληται, *Hæc autem civitatis pars, Acra dicta eſt* (3). Porro Græcarum coloniarum numerus longe civibus ipſis tunc major fuit, atque, ut monet auctor prioris libri Machabæorum, *Ieruſalem facta erat habitatio exterorum* (4). Ac quamvis eos pluries Machabæi duces inde exturbare conati ſint, quemadmodum Iudas fecit primum ſub Antiocho Epiphane (5), tum ſub Antiocho Eupatore (6); & poſt obitum Iudæ, Ionathas

(1) *Lib. I. Mach. C.* 1. *v.* 30. *ſeq. Lib. II. C.V. v.* 24. *ſeq.*
(2) *Joſeph. Lib.* 12. *Antiq. C. V.* §. 4. *p.* 609.
(3) *Joſeph. de Bello Lib.* 1. *Cap.* 1. §. 4. *p.* 53.
(4) *Lib. I. Machab. Cap.* 1. *v.* 40.
(5) *Lib. I. Mach. C.* 1. *v.* 41.
(6) *Ibid. C. VI. v.* 18. *& ſeq.*

thas ſub Rege Demetrio (1), tamen conſequi id nullo modo unquam valuere, adeo, non quidem viribus, ſed numero Iudæis Græci longe præſtabant. Quamobrem Macedones tenuere Hieroſolymam annis vigintiquinque, donec eos, Syriæ Rege annuente, Machabæus Simon ejecit (2). Hinc patet Iudæos omnes Hieroſolymitanos Græcam linguam excipere neceſſario debuiſſe ex iis, quæ Propoſitione prima dicta ſunt. Græci enim non tam ad ſuos ritus illos traducere (3), quam ut Græco ſermone uterentur, repudiato Chaldaico, cujus ipſi ignari prorſus erant, adnitebantur. Ac Hieroſolymis quidem res ſic ſe habebat.

Samaritani ſponte Græcantur & templum Gaziritanum Iovi Hellenio dicant.

IX. Samaritani autem, qui Sicima incolebant (Samariam enim tenebant Græci, ut modo diximus) cum viderent Iudæos diris modis vexari ob Iudaiſmi profeſſionem, *πρὸς τόν τε πράττοντα τοῖχον ῥέπειν*, ut eſt in Græco proverbio, *in felicem parietem vergere* curavere: miſſis ad Antiochum Legatis cum epiſtola, eidem ſignificarunt, ſe quidem ex Iudæorum gente minime eſſe, ſed Medorum, Perſarumque colonos, ideoque paratos eſſe Græcorum inſtituta profiteri. Quare petierunt, ut templum in monte Garizim conſtructum, nullius Dei nomine adhuc inſi-

(1) *Ibid. Cap. XI. v. 20.*
(2) *Ibid. C. XIII. v. 49.*
(3) *Ibid. Cap. VI. v. 23.*

inſignitum Græco numini dicaretur. Quibus reſcribens Antiochus quæcunque eorum poſtulata fuerant, rata habuit; ac ſtatim Samaritani Sichimitæ Græcorum inſtituta, receperunt, templumque Garizitanum Διὸς Ἑλληνίȣ *Iovis Græcanici* cognomento affecerunt; in quo Græcum ſane morem, & ritum ſecuti ſunt, ut refert Ioſephus (1). Etenim eo nomine Iupiter a Græcis colebatur, ut tradit Herodotus (2). Ejuſdemque fit mentio quoque in antiquis Syracuſanorum nummis ΔΙΟΣ ΕΛΛΕΝΙΟΥ. Item apud Æginam eo nomine inſignitus eſt, ut videre eſt apud Ariſtophanem (3), ac Pindarum (4) Καὶ βωμὸν πατέρος Ἑλλανίȣ. Sicque Samaritani pariter Helleniſmum ſponte receperunt.

X. Sed non hic reſtitit Antiochi conatus, & ſtudium univerſa miſcendi. Quid igitur? audiens fortaſſe exſtare, qui in patriis inſtitutis adhuc perſiſteret, edicto cavit, ut omnes Iudæi, abolitis patriis inſtitutis, Græcorum more viverent, morte qui ſecus facerent afficiendi (5). Miſit ergo in Iudæam ſenem quemdam Ἀθηναῖον *Athenienſem* (ex textu Græco, & verſione Syriaca, non vero *Antiochenum*, ut eſt in vulgata Latina (6)) qui Iudæos cogeret pater-

Antiochus mortis pœnam ſtatuit Iudæis Helleniſmum recuſantibus vel Iudaica inſtituta non relinquentibus.

(1) *Joſeph. Lib. XII. Antiq. Cap. V.* §. 5. *pag.* 610.
(2) *Herodotus Lib. IX. p.* 693. *v.* 88.
(3) *Ariſtophan. in Equit. v.* 1250.
(4) *Pindarus Nem. Od. V. v.* 19.
(5) *Lib. I. Mac. C.* 1. *v.* 43. *ad* 51.
(6) *L. II. C. VI. v.* 1., *& ſeq.*

ternas leges repudiare, & Græcanicam vivendi rationem ampleƈti; contaminare templum, idque Græco numini dicare; vetaret præterea ſacrificia, ſabbata, feſtos dies celebrare, recens natos circumcidi, ac tandem juberet ſpurcitiis omnibus coinquinari, certiſſima morte non parentibus propoſita. Quare quam magnos hac via Helleniſmus proceſſus fecerit, facilius erit cuivis cogitatione adſequi, quam mihi verbis exprimere, ac definire. Primum itaque templum Διὸς Ὀλυμπίȣ nomine inſignitum eſt; idemque luxuria, & commeſſationibus Græcorum contaminatum, qui etiam molliter illic vitam degere cum meretricibus cœperunt. Deinde Iudæi, antiquatis omnino Iudaicis ritibus, tantum ſingulis menſibus diem natalem Regis profanis ſacrificiis celebrare in more habuerunt. Cumque Bacchi numen maximo in honore eſſet apud Græcos præſertim Syros (cujus imaginem in nonnullis eorum numis cuſam videre eſt apud Vaillantium (1)) iccirco faƈtum eſt, ut Græcorum more bacchanalia celebrare inſtituerent, hederaque præcinƈti potationibus, ſaltationibus, omnique adeo licentiæ indulgentes templum, urbemve circumirent (2). Sic igitur Regis mandatis obtemperatum eſt, obnitentibus ma-

(1) *Vaillantius in Hiſt. Reg. Syr.-p.* 179. 181. 210.
(2) *Lib. II. Mach. Cap. VI. v.* 7.

maxime Macedonibus, qui ne illud quidem ſinebant, ut quis ſe Iudæum nominaret, quod teſtatur auctor libri ſecundi Machabæorum (1). Omnes enim oportebat Græcos ſe eſſe confiterentur, omnes vulgo Græca inſtituta profiterentur; Græce tandem omnes loquerentur neceſſe erat.

XI. At paullo poſt Antiochus anno ſcilicet CXLV. regni Græcorum die XV. menſis casleu Iudæam venit, ut poſtremam veluti manum operi ipſemet imponeret. Quare primo ſacra omnia Legis, & Prophetarum volumina coſcindi, cremarique juſſit (2). Deinde cum aram ſuper altare Dei exſtruxiſſet, in eaque abominandum Græcorum idolum ſtatuiſſet, ſacrificium ibi Græco ritu perfecit. Eidemque Deo per omnia Iudææ oppida, vicos, ac civitates aras exſtruendas curavit, cui ſues immolare quotidie cogerentur Iudæi. Cumque præ domorum foribus Dianæ fana haberent Græci, quæ vulgo Hecate vocabantur, ut legimus apud Ariſtophanem: ſic etiam Iudæi præ ſuis foribus, atque in compitis Triviæ ſimulacra ſtatuere coacti ſunt, ut recens Interpres ex Iſaia, & Macrobio colligit (3). Atque eo tendit, quod auctor primi Machabaici narrat, his verbis: *Ante januas domorum, & in plateis incendebant*

Antiochus etiam cauſas extirpavit, quæ Iudæos a ſuſcepto Helleniſmo averterent.

(1) *Ibid. v. 6.*
(2) *Lib. II. Machab. Cap. I. v. 57. ad 60.*
(3) *Calmet in Com. ad Lib. I. Mach. C. I. v. 58.*

bant tura, *& ſacrificabant* (1). Huc etiam facit quod in eiſdem libris legitur de immaniſſimis cruciatibus, quibus Antiochus eos affecit, qui avitos mores, & religionem adhuc retinere audebant (2). Quid plura? Sane cum vellet per id tempus præſtantiſſimus ille Machabæorum Iudas patrios ritus revocare, ex omni quidem Iudæa vix hominum ſex millia, qui eum ſecuti ſunt, invenit. Cuncti enim Græcabantur: quare jugiter longe ab ſuis ſedibus profugus vitam degere coactus eſt (3). Tandem cum vita exceſſiſſet Antiochus Epiphanes, ejus tamen ſucceſſores Antiochus Eupator, & Demetrius velut hereditate relictum ſibi erga Helleniſmum amorem ſic confirmaverunt, ut magis magiſque in dies auxerint (4).

Pontifex Alcimus magnopere auctor fuit in Iudæa Helleniſmum propagandi.

XII. Mortuo namque Menelao Pontifice centeſimo ſexageſimo tertio ante Chriſtum anno, ab Antiocho Eupatore ſuffectus eſt Iacim Græcorum ſtudioſiſſimus. Is igitur ſimul pontificatum iniit Iaſonis, ac Menelai exemplo: nomen ſibi Græcum adſcivit, atque ex Hebræo יקים *Jacim*, Græcus Ἄλκιμος factus eſt, quod eſt præſtantiſſimi viri nomen apud Homerum (5). Ad hæc cum

(1) *Lib. I. Mach. Cap. I. v.* 58.
(2) *Videſis Lib. I. Machab. C.* I. *v.* 63. *&* 64. *Lib. II. C. VI. v.* 10. 18. *uſque ad Cap. VII.*
(3) *Lib. II. Mach. C.* VIII. *v.* I.
(4) *Ibid. c. XI. v.* 24. *ſeq.*
(5) *Homerus Iliad. XIX. v.* 392., *& XXIV. v.* 574.

eum minime æquo animo ferret Iudam Machabæum, qui pro lege, ac libertate patria ſtrenue rem gerebat, omni conatu niſus eſt eum ad incepto deterrere, atque hominem etiam e medio tollere, ne quid contra receptum in Iudæa Helleniſmum moliri perſeveraret: quæ res ei tandem ex voto ceſſit. Poſt Iudæ obitum amicos omnes ejus undique exercendos ſuſcepit Bacchides Syriani Regis Dux; cui & fames opitulata eſt, quæ tum forte regionem omnem urgebat: quæque eos omnino coegit Bacchidi ſe dedere; atque πρὸς τὺς Μακεδόνας αὐτομολῆσαι, ut Ioſephus ait, *ad Macedones perfugere* (1). Bacchides deinde, Alcimo ſuadente, omnem regionem adminiſtrandam ipſis Græcienſibus Iudæis commiſit. Qui Iudæ aſſeclas, omneſque, quos Græcos ritus reliquiſſe audierant, conquirentes Bacchidi tradiderunt, a quo pari omnes crudelitate interfecti ſunt, cui quidem occidioni ii duntaxat ſuperfuerunt, qui Græca inſtituta profitebantur, aliis, ut dictum eſt, immaniſſima laniena deletis (2). Alcimus interim novis in dies rebus ſtudens murum atrii anterioris (qui Iudæos a Græcis dirimebat) ſolo æquari juſſit. Sed impio Pontifici Deus occluſit os, eumque paralyſi percuſſit trien-

(1) *Joſeph. Lib. XIII. Cap. I. pag. 631.*
(2) *Lib. I. Mach. Cap. IX. v. 23. ad 27. Joſ. loc. cit.*

triennio poſt quam ſummum ſacerdotium adeptus erat.

Vniverſa Iudæa repleta Græcis coloniis.

XIII. Anno tandem mundi MMMDCCCXLIII, ante Chriſtum CLXI poſtquam Ionathas in locum Iudæ fratris ſui aſcendit, Φοβηθεὶς Βακχίδης, μὴ πράσχῃ πράγματα τῷ βασιλεῖ, καὶ τοῖς Μακεδόσιν ὁ Ἰωνάθης, *Veritus Bacchides ne Ionathas negotium faceſſerit* (Syro) *Regi*, *&* *Macedonibus*, ut ait Ioſephus (1) cum magno Græcorum exercitu ad Iordanem venit. Illic commiſſo prælio, cum Ionathas tantæ multitudini imparem ſe eſſe cerneret, Iordane tranſmiſſo, præſenti periculo ſe, ſuoſque prohibuit. Tum Bacchides Hieroſolymam reverſus urbes Iudææ Iericho, Ammaum, Bethoron, Bethel, Thamnatha, Phara, Thopo, aliaſque muris, & portis cinxit, atque in eas novas Græcorum colonias deduxit. Bethſuræ vero, & Gazaræ, atque in arce Hieroſolymitana (quæ loca majori colonorum numero frequentari juſſit) auxilia conſtituit, filioſque principum Iudæorum, qui Ionathæ partes ſequuti fuerant, obſides detineri voluit (2). Sic ergo magis magiſque oppleta Iudæa Græcis colonis, eorumque imperio ſubjecta eſt; ut nullus Iudaico inſtituto locus eſſe poſſet. Ionathas enim patria extorris apud Bethbeſſen

(1) *Joſeph Lib. XIII. Antiq.* C. 1. §. 2. *p.* 632.
(2) *Lib. I. Mac. C. IX. v.* 47. *ad* 53.

ſen moratus eſt, ut putat Fullonius (1), vel certe trans Iordanem, ut Ioſephus teſtatur (2). Ac quamvis biennio poſt Bacchidem contra ſe pugnantem contriverit; eo tamen loci erat Ionathas, ut etiam victor Legatos miſerit ad Bacchidem, qui pacem ab eo exorarent (3). Quibus ita geſtis exul ſedem in Machmas fixit, ibique in ſuos quale quale imperium exercuit. Græci contra univerſæ Iudææ potiti eam tenuere annis undeviginti, quo tempore Græcæ linguæ pomœria ita laxarunt, ut fere ab eo tempore in deſuetudinem abire cœperit Chaldaicus ſermo, quem labentibus deinceps annis ne intelligebant quidem Iudæi, quod fuſius oſtenſuri ſumus in tertia Parte. Interim anno mundi MMMDCCCXLI, regni Græcorum CLXX, ante Chriſtianam epocham CXLIII Simon Ionathæ interempti locum occupavit. Qui, impetratis a Demetrio Rege Syriæ literis fœderis, & immunitatis, expugnavit Gazaram, Bethſuram, Ammaum, ceteraſque, quas modo dixi, urbes, pulſis Græcis qui eas incolebant. Quo facto non modo Zachariæ vaticinium impletum eſt; *Et ſuſcitabo filios tuos, Sion, ſuper filios tuos, Græcia: & ponam te quaſi gladium fortium* (4); ſed & *Ab-*

(1) *Fullonius in Comm. ad I. Mach.C. IX. v.57. p. 314.*
(2) *Joſeph in Antiquitatibus loco citato.*
(3) *I. Mach. Capite IX. v. 70.*
(4) *Zach. Cap.IX. v. 13., & Interpretes ibi.*

latum eſt jugum gentium ab Iſrael, ut verbis utar auctoris primi Machabæorum (1); poſtquam Iudæa annis centum, & nonaginta Græcorum imperio obtemperavit; non centum octoginta, ut perperam docet Rabbi Ioſe in Seder Olam (2).

Iudæi Græcorum etiam philoſophandi rationem admiſerunt.

XIV. Circa idem tempus, ſeu potius ut alii putant, ſub Ioanne Hyrcano Machabæi Simonis filio Iudæi Græcorum etiam philoſophorum ſectas adoptarunt, nempe Stoicam, Epicuræam, atque Pythagoricam, quæ vulgo ſub Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum nomine agnoſcuntur. Atque ex his quidem philoſophis non tam mores, ac vivendi rationem, verum etiam dogmata, quæ cum antiqua patrum ſapientia miſcebant, hauſiſſe eos accepimus. Itaque primum omnium Phariſæorum hæreſis Stoicorum principia, atque inſtituta profeſſa eſt, Ioſepho hoc credamus, qui inter ipſos nomen profeſſus, palam teſtatur his verbis; Ἐννεακαίδεκα δ' ἔτη ἔχων, ἠρξάμην τε πολιτεύεσθαι τῇ Φαρισαίων αἱρέσει κατακολουθῶν, ἣ παραπλήσιός ἐστι τῇ παρ' Ἕλλησι Στωϊκῇ λεγομένῃ; *Iamque annos undeviginti natus, vitam inſtituere exorſus ſum convenienter Phariſæorum ſectæ, quæ ſimillima eſt ſectæ Stoicæ Græcis dictæ* (3). Phariſæi enim non ſe-

(1) *Lib. I. Machabæor. Cap. XIII. v. 41.*
(2) *V. Chronicon Hebræor: p. 91. & p. 111. & ſeq.*
(3) *Ioſephus in ejus vita §. 2. p. 2.*

ſecus, ac Stoici fato omnia adſcribebant. Aſtrologiæ ſtudia colebant, ita ut nova planetis, zodiacique ſignis fecerint nomina. Μετεμψύχωσιν, ſive animarum in nova corpora tranſmigrationem admittebant. Quo errore imbuti, Chriſtum eſſe aut Ieremiam, aut Eliam, aut Ioannem Baptiſtam dicebant; quaſi vero Chriſti corpori anima Ioannis, vel Eliæ, vel Ieremiæ vitam afflaviſſet (1). Sadducæi contra tantum ab his diſſentiebant, quantum a Stoica diſciplina diſtabant Epicuræi. Appoſite de his Philaſtrius; *Eos*, inquit, *Epicuræam dementiam potius, quam divinæ legis jura ſecutos fuiſſe* (2). Ipſi ergo Epicuræorum dogmata perſequentes nullam in Deo providentiam agnoſcebant; ſed omnia ita eſſe in hominum poteſtate ſita arbitrabantur, ut felicitatis perinde, atque infelicitatis ſibi quiſque ſit auctor. Animas una cum corpore omnino exſtingui: nullaque poſt hanc vitam manere præmia, vel ſupplicia: quapropter in deliciis fruendis ſummum bonum repoſitum arbitrabantur. Eſſeni denique eamdem fere viam, vivendique rationem tenuiſſe, quam apud Græcos Pythagorei tenuerunt, Ioſephus teſtatur; Γένος δὲ τοῦτ' ἐστὶ διαίτῃ χρώμενον τῇ παρ' Ἕλλησιν ὑπὸ Πυθαγόρου καταδεδειγ-

 μένῃ

(1) *Matthæus Capite XVI. verſu* 14.
(2) *Philaſtrius de Hæreſ. Cap.* V. *p.*16. *ex edit. Fabric.*

μένη ; *Iſti autem ſunt genus hominum* , *qui vitæ inſtituto utuntur*, *quod Græcis a Pythagora traditum eſt* (1). Eſſeni igitur Pythagoricorum exemplo perfectam bonorum communionem , ac ſocietatem ſervabant : unde pecuniæ ipſis communes erant , neque qui antea dives fuit, ſuis ipſius rebus, ac bonis fruebatur magis, quam qui antea nihil poſſederat. Silentium ipſis magnæ fuit curæ, & qui ad ſuam ſocietatem adjungi expetebant, & *νεοσύςατοι novitii* appellabantur, quadriennalis probatio erat. Frugalem vitam maxime ſectabantur. Fato omnia regi opinabantur . Corpora quidem morti obnoxia eſſe , animos vero immortales permanere profitebantur. Ex quibus placitis ſatis conſtat Stoicæ , Epicurææ , Pythagoricæ ſectæ mores , ac philoſophiam Phariſæos , Sadducæos , Eſſenoſque recepiſſe . Reliqua plura de hac trihæreſi recenſent præſertim inter antiquos Ioſephus (2) , & ex recentioribus Serarius, Druſius, ac Scaliger in libris de trihæreſi Hebræorum . Quare ſi Helleniſmi ſtudium eo uſque apud eos progreſſum eſt, ut etiam Græcorum ſectas uſurpaverint , traditaſque per majorum manus doctrinas inquinaverint, ſive repudiaverint, quidni etiam Græcam linguam excepiſſe eos confiteamur ?

XV.

(1) *Ioſeph in Antiq. Lib. XV. Cap. X. p. 777. §. 4.*
(2) *Ioſ. de Bello Lib. II. Cap. VIII. p. 160 , & ſeq.*

Inſecuti Reges Iudæi Hellenibus, ac Helleniſmo nimis favent.

XV. Ac demum ad operis velut coronidem imponendam perſtringendum eſt hic quanta ſubſecuti Reges Iudæorum benevolentia Græcos affecerint, quantaque cura foverint Helleniſmum. Ac primo Ioannes Simonis Machabæi filius Græcos milites ſuis ſumptibus conduxit (1). Hebraico nomini Ioannis Græcum adjunxit Ὑρκανός; ab eoque caſtellum, quod condidit, Græce Ὑρκάνιον nuncupavit. Græcam Philoſophiam primo Stoicam, tum Epicuræam profeſſus eſt; quippe qui primo Phariſæorum, tum Sadducæorum ſectatus eſt partes (2). Excepit Ioannem Hyrcanum Ariſtobulus ejus filius, qui adeo Græcorum ſtudio tenebatur, totque in eos contulit beneficia, ut vulgo Χρηματίσας μὲν φιλέλλην, *Græcorum amator* dictus ſit, ut auctor eſt Ioſephus (3). Alexander Iannæus Ariſtobuli filius non diſpari ingenio fuit. Hic novos milites, quos collegerat, quique ſcutis ære tectis utebantur, Græce appellavit *Hecatontomachos*, ideſt *pugnantes contra centum* (4). Græcorum præterea ſex millia, & ducentos in ſuam militiam adlegit (5). Elegans ad Iordanem caſtellum condidit, Græceque pa-

 riter

(1) *Joſeph in Antiq. L. XIII. C. 8. p. 658. De B. L. 1. C. 2. p. 56.*
(2) *Id. in Ant. Lib. XIII. C. 10. §. 6. p. 663.*
(3) *Ioſeph ibid. Cap. XI. §. 3. pag. 665.*
(4) *Id. ibid. Cap. XII. §. 5. pag. 668.*
(5) *Id. ibid. Cap. XIV. §. 1. pag. 672.*

riter Α'λεξάνδρειον a ſuo nomine appellavit. Denique Græcanicæ philoſophiæ mirum in modum amator exſtitit, ut non ſolum Sadducæos, & Phariſæos bene foverit, verum etiam moriturus uxori Alexandræ ſuaſerit, ut ſuum corpus Phariſæorum arbitrio permitteretur; polliceretur que ipſa nihil ſe, niſi ex illorum ſententia geſturam in adminiſtrando imperio (1). Hyrcanus Alexandri filius deinceps regnum obtinuit. Is nimium etiam in Helleniſmo fovendo patriſſavit; quod abunde teſtatur pſephiſma illud Athenienſium, quo ſtatuerunt *honorare ipſum corona aurea, præmio legitimo, ſtatuamque ei ex ære item collocare in templo populi, & gratiarum; & præconis voce pronunciari coronæ donationem in theatro Dionyſiis dum tragœdiæ novæ agerentur, & in Gymnicis certaminibus . . . . . ac omnia quæ in honorem ejus, & gratiam excogitari poſſent pro ipſius in Græcos ſtudio, & liberalitate ei tribuerentur;* de quo videſis Ioſephum (2). Succeſſit Hyrcano Herodes, cui cognomen Magno ex facinoribus datum. Vix dici poteſt quantopere Rex iſte Hellenibus, ac Ἑλληνισμῷ favertit. Vrbes, oppidaque ab ſe condita Græce appellavit; & quibus (*) Hebraicum, aut Chaldaicum nomen erat in Græcum mutari iuſſit

(1) *Id. ibid. Cap. XV. §. 5. pag. 675.*
(2) *Joſeph. Lib. XIV. Ant. Cap. VIII. §. 5. p. 698.*
(*) *V. Relandum in Palæſtina illuſtrata T. 11.*

iuſſit, velut Samariam in Sebaſten, Capharſaba in Antipatridan, Betharamphta in Livian, de quibus inferius. Nummos omnes quos percuſſit Græce inſcripſit, Olympiacos ludos, aliaque Græcorum ſpectacula inſtituit Hieroſolymis, ubi theatrum ædificavit, & proxime in campo amphitheatrum, utrumque operis magnificentia conſpiciendum. Illic in quinquennium ludi, ſpectacula, comœdiæ Græcorum more agebantur: quem quinquennalem conventum ſatis apparate, & magnifice celebrabat, miſſis qui eum finitimis indicerent, & ſpectatores undecunque convocarent. Quare ab omni Græcia accurrebant athletæ, omnis generis ludiones, & muſici, Græce θυμελικοί (1). Ex quo porro factum, ut Herodes vulgo *agonotheta* vocaretur a Iudæis, quippe qui certamina conſtitueret, ſeu munerarius. Is in Elide Olympiacos ludos ob Elæorum paupertatem iam minus celebratos de ſuo inſtauravit (2). Denique Hellenibus, & Ἑλληνίσμῳ adeo favit Herodes, ut eum liberalem in exteros, ſævum in ſuos appellarit Ioſephus (3). Neque aliter eius poſteri Herodes ſeſe geſſerunt, Tetrarcha, & Agrippa, qui tanta Græcos benevolentia complexi ſunt, ut plures ii per Græciam inſcriptos lapides in eo-

 rum

(1) *Id. Lib. XV. Antiq. Cap. VIII. pag. 766. & ſeq.*
(2) *Id. Lib. XVI. Cap. V. §. 3. p. 798.*
(3) *Ibid. §. 3. & §. 4. pag. 799.*

rum honorem excitaverint ; (*) de quibus quidem inſcriptionibus adiſis præ ceteris Sponii Miſcellanea (a).

Excurſus ſuper Helleniſtis Actuum Apoſtol: Capite VI.

(*) Ex iis, quæ hactenus expoſuimus, explicare facile eſt Actuum Apoſtolorum locum, qui vix dici poteſt, quantopere eruditorum vexarit ingenia. Is ſic habet ; Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ταύταις πληθυνόντων τῶν μαθητῶν, ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους, ὅτι παρεθεωροῦντο ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ αἱ χῆραι αὐτῶν ; *In diebus autem illis, creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Helleniſtarum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum* (1). Ex hoc binæ exſiſtunt non oppido leves controverſiæ ; hoc eſt, quinam fuerint hi Helleniſtæ, quorum viduæ deſpectæ ſunt in miniſterio : tum ſecundo loco, an exſtiterit unquam lingua Helleniſtica, quam nonnulli ab Helleniſtis nuncupatam volunt.

Quinam fuerint Helleniſtæ?

Ad priorem controverſiam quod attinet, acerrime inter ſe viri longe doctiſſimi digladiati ſunt. Ac I. Petrus de Marca opinatur Helleniſtas hoſce fuiſſe Iudæos. diſperſionis ſecundæ in provinciis Græcorum, ſive gentilium ſparſos. II. Eraſmus nomen Helleniſtarum factionem etiam innuere exiſtimat, non tantum nationem, & linguam. III. Ioannes Lightfoot Helleniſtas fuiſſe exiſtimat Iudæos habitantes in gentibus, neque gnaros linguæ Hebraicæ, ſed aliam ejus, in qua verſabantur gentis, linguam ſolitos loqui (2). IV. Opinio eſt Ludovici Cappelli, cui Helleniſtæ ſunt ethnici. V. Eſt Iſaaci Voſſii, qui putat fuiſſe Iudæos ethnicorum

(a) *Sponius in Miſcellaneis pag. 338. alibique.*
(1) *Act. Apoſt, Cap. VI. v. 1.*
(2) *Lightfoot Hor. Hebr. in C. VI. Act. Apoſt. T. II. p. 707.*

corum Romanorum partes ſecutos, aut qui in eorum ſtipendio vixerunt (1). VI. Daniel Heinſius (quem ſequitur Hugo Grotius, Ioannes Seldenus, aliique) vult Helleniſtarum nomine Iudæos intelligi, qui alibi quam in Iudæa nati, bibliis Græcis uterentur in ſynagogis, & Græce ſciebant peculiari dialecto utentes, quam Helleniſticam ipſe vocat (2). VII. Alia longe ſententia Salmaſii eſt, qui ex parte Bezam ſequitur putans, Helleniſtas illos Hebraice neſciſſe, & Græce locutos, eoſque nec Iudæos origine, aut genére fuiſſe, neganſque fuiſſe olim in rerum natura linguam Helleniſticam, neque exſtare eam hodie affirmans (3).

Sed lites has omnes facile quiſque componet ex iis, quæ ſuperius adnotavimus, moxque ad rem magis illuſtrandam adiungemus. Ac primo ex iis, quæ in ſuperiori §. expoſui, patet nonnullas Græcorum familias ſive ſtipendio conductas a Iudæis Regibus, ſive ob immunitates ſibi conceſſas in Iudæa, ſive etiam quod a Regibus ipſis diligi ſe viderent, in Iudæam domicilium tranſtuliſſe.

Secundo; hi porro Hellenes, qui in Iudæam migrarunt, non quidem *judaizabant*, ſed in Helleniſmo permanebant Græcorum more viventes; ita ut non Iudæorum inſtituta ſectarentur, ſed in gentis ſuæ religione manerent: quemadmodum nunc faciunt Iudæi inter Chriſtianos, Græci inter Latinos, ac Chriſtiani ipſi inter Turcas morantes, quorum quiſque ſuam religionem profitetur. Neque aliter ſeſe iſtiuſmodi Græcorum filii geſſerunt: qui parentum veſtigia perſequentes Græcam

(1) *Iſ. Voſſius de Sybill. Oraculis Cap. XVI. p. 287.*
(2) *Daniel Heinſius in exercit. de ling: Hellen.*
(3) *Salmaſius in Com. de lingua Helleniſtica. Sententias has omnes ſuo more exponit doctiſſimus Fabricius in Biblioth. Græca Lib. IV. Cap. V. p. 225.*

cam religionem retinuerunt, Græcorumque more vixerunt; quod proprie indicant voces Ἑλληνίζειν, ac Ἑλληνισμὸς, præſertim apud ſacros auctores. Ἑλληνίζειν enim non tam Græce loqui ſonat, quam mores, & inſtituta Græcorum imitari, eorumque religionem ſequi, quemadmodum Ἰȣδαΐζειν apud Paullum (1), eſt *Iudaicam religionem profiteri*; Χριστιανίζειν, *Chriſtianorum more vivere*. Ita Gregorius Nyſſenus; Οὐκȣ̃ν ὅταν πρός τινα Ἑλληνιζόντων ἡ διάλεξις, ἦ καλῶς ἂν ἔχοι ταύτην ποιεῖσθαι τȣ̃ λόγȣ τον ἀρχὴν, πότερον εἶναι τὸ θεῖον ὑπείληφε, ἢ τῷ τῶν ἀθέων συμφέρεται δόγματι. *Quando ergo erit diſputandum cum aliquo ex iis, qui Græcorum ſecuntur religionem, recte erit, ſi dicendi hoc ſumatur initium: utrum Deum eſſe exiſtimat, an ſit in opinione eorum, qui dicuntur athei, qui Deum eſſe non cenſent* (2); et alibi. Ideo Socrates Ἑλληνίζειν, & Χριστιανίζειν opponit (3). Neque aliter Heſychius (4), apud quem Ἑλληνίζειν eſt more Græcorum vivere: & veteres gloſſæ ejuſdem Ἑλληνίζω exponunt *Græciſſo*. Quare Æſchines in Chteſiphonte ait, Ἑλληνίζων τῇ φωνῇ, nempe *voce tantum Græcos imitans*. Idem omnino ſonat vox Ἑλληνισμὸς, nempe Græcæ religionis profeſſio, Græci moris imitatio; ſic in libro ſecundo Machabæorum; Ἦν δ᾽ οὕτος ἀκμή τις Ἑλληνισμοῦ, καὶ πρόσβασις ἀλλοφυλισμοῦ; *Erat autem is vigor Græcitatis*, ſive *Græcorum morum, ac proceſſus ad peregrina inſtituta* (5): nec non apud Gregorium Nyſſenum (6) Chryſoſtomum (7) & plu-

(1) *Paullus Ep. ad Galat. Cap. II. v.* 14.
(2) *Nyſſenus Præfat. in Orat. Catech. T.* 3. *pag.* 44. *Idem Oratione eadem cap.* III. *pag.* 49.
(3) *Socrates Hiſt. Eccleſ. Lib.* I. *Cap.* 22. *p.* 185.
(4) *Heſychius in Dictíon. voce* Ἑλληνίζειν.
(5) *Lib. II. Mach. Cap. IV. v.* 13.
(6) *Nyſſenus Præfat. citata pagina* 43.
(7) *Chryſoſt. Lib. cont. Gent. T.* I. *p.* 652. *Edit. Pariſ.*

& pluries apud Iuſtinum Martyrem (1). Hinc ergo factum eſſe crediderim, ut horum Græcorum poſteri a paterno Helleniſmo quem adhuc retinuerunt inter Iudæos; & ab Ἑλληνίζειν, a perſeverando ſcilicet in avita Græcorum religione dicti ſint Helleniſtæ, hoc eſt ſectatores Græcanicæ religionis.

Ac quoniam diſpar religio diſpares mores parit; iccirco factum eſt, ut Helleniſtis noſtris cum Iudaico populo, & præſertim cum ima plebe non conveniret. Græci, ſive Helleniſtæ, quibus Iudaica inſtituta abhorrentia, atque abſurda videbantur, barbaros appellabant Iudæos. Hi contra par pari referentes Græcos, & Helleniſtas ethnicos vocitabant; ſicque mutuis inter ſeſe odiis flagrantes, alteri alteros abominabantur.

Sed promulgata Evangelii lege in Iudæa, nonnulli, non modo Iudæorum, ſed etiam Helleniſtarum, & Proſelytorum ad Chriſtianam fidem traducti ſunt. Et poſt Chriſtum in cælum receptum, omnes Chriſtiani ceperunt in commune vivere; ut ex Actis liquet; *Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia, poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus prout cuique opus erat* (2). Et alibi: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia . . . . . . neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferrebant pretia eorum quæ vendebant; & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem*

(1) *Iuſtinus Martyr. Reſp. ad quæſt. 1. Orth., & quæſt. 24. ad Orth. Ib. Reſp. ad qu. 42., & 74.*
(2) *Act. Apoſt. C. II. v. 44. & ſeq.*

autem ſingulis, prout cuique opus erat (1).

Temporis vero lapſu, aucto numero diſcipulorum, etſi religionis vinculo, quod arctiſſimum eſt, Iudæi cum Helleniſtis adſtricti eſſent; tamen ob inolitum inter duas gentes odium, accidit, ut dum collectæ facultates diſtribuerentur fidelibus, Helleniſtarum viduæ ab Hebræis poſthaberentur. *In diebus illis, creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur. Helleniſtarum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum*. Cui quidem malo Apoſtoli, ut occurrerent, ſeptem Diaconos conſtituerunt, qui fidelium menſis præeſſent.

Hæc cum ita ſe habeant, aio, nullum præter hos ipſos, quos modo indicavi, inveniri poſſe cœtum, in quem aptius hujuſmodi Helleniſtæ nomen cadat. Ac primo non Iudæorum inter gentiles degentium, ut putat Heinſius, cui proxime acceſſerunt Lightfoot, & de Marca. Hi enim non modo ethnicam religionem non ſectabantur, quod proprie ſonat verbum Ἑλληνίζειν; verum etiam hic in Actis aperte ab Helleniſtis diſcernuntur: *Factum eſt murmur Helleniſtarum adverſus Hebræos*. Et præterea ibidem duobus aliis in locis iidem Helleniſtæ a Iudæis diſcriminantur (2). Ex quo patet Helleniſtarum nomine venire minime potuiſſe Hebræos, aut Iudæos, qui iidem fuerunt.

Neque item cadit nomen illud in ethnicos, quod ſibi perſuaſit Cappellus. Nam licet ethnicorum nomine comprehendantur gentiles omnes, inter quos Græci, & Helleniſtæ; attamen non omnes ethnici erant Helleniſtæ, ſed ii tantum, qui inter Hebræos Ἑλληνίζον *Græcabantur*, & qui pa-

(1) *Ibid. Capite IV. v. 32. ad 35.*
(2) *Act. Apoſt. Cap. IX. v. 29., & XI. v. 20.*

parentum exemplo Græcorum more vivebant. Præter quam quod ceteris paganis nondum verbum Dei prædicatum erat, neque iis ecclesia Chriſti patebat, ita ut huiuſmodi Hieroſolymitanæ ſocietati adiungere ſe potuerint.

Sed neque nomen illud aptari poteſt Iudæis ethnicorum Romanorum partes ſecutis, quos Vòſſius dicit fuiſſe Helleniſtas, idque ob hanc eamdem rationem; nam ſi in Actis Iudæi aperte ab Helleniſtis diſtinguuntur; iiſque opponuntur; ſatis patet nomine Helleniſtarum nullos venire Iudæos, aut Hebræos poſſe.

Ex quibus omnibus colligendum puto Salmaſium, ejuſque aſſeclas ad hujus rei veritatem proxime acceſſiſſe, qui Helleniſtas hoc loco dici vult eos, qui nec Iudæi genere, aut origine fuerint, ſed Proſelyti ex Græcis (quo nomine intelligit Græcos illos, qui Iudaicam religionem amplexi fuerant) aut ex hujuſmodi Proſelytis orti, qui Hebraice neſcirent, & Græce loquerentur. Qui quidem non Hellenes, quia non veri Græci erant, ſed Helleniſtæ potius appellati ſunt a verbo Ἑλληνίζειν, quod etiam ſignificat *Græce loqui*. *Proxime*, inquam, *acceſſiſſe*, nam mea quidem ſententia rem acu non tetigit. Etenim quod Helleniſtas putat nec Iudæos genere fuiſſe, ſed Græcorum filios, ac nepotes Græce loquentes; in eo,

Et ſapit, & mecum facit, & Iove judicat æquo.

At in reliquis errat vir ſummus, quia nullum agnovit in Iudæis Helleniſmum, ſive Græci ſermonis uſum: tantoque ſe in majores difficultates induit, quanto magis a Iudæorum Helleniſmo recedit.

Ac primo fallitur in eo, quod Helleniſtas facit Græce loquentes, & Iudæos Chaldaice; hos Græci,

ci, illos Hebraici, & Chaldaici ſermonis ignaros. Ex hoc utique conſequens eſſet nec a Iudæis intellectos Helleniſtas, nec ab Helleniſtis Iudæos. Atqui obſervatum eſt iam, Helleniſtas ejuſmodi in Iudæa, ac inter Iudæos natos, & ad Chriſtianam fidem traductos cum Iudæis vixiſſe ſimul, habentes omnia communia. Præterea in Actis Helleniſtæ Iudæos alloquuntur, & præſertim hic Capite ſexto, ubi coram Iudaica multitudine dixerunt: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis, conſiderate ergo fratres . . Et cet.* Et paullo poſt; *Et placuit ſermo eorum coram omni multitudine*. Quare ſi vera ſunt, quæ Salmaſius docet, quo pacto, quæſo, Iudæi, & Helleniſtæ ſimul vivebant? quaque lingua colloquebantur inter ſe? Neceſſe eſt igitur, unam eamdemque linguam, & quidem Iudææ vernaculam, utriſque fuiſſe communem. At cum hæc non alia fuerit quam Helleniſtica, ut inferius oſtendetur, conſequens eſt, hanc ipſam Iudæis æque, atque Helleniſtis fuiſſe propriam, eaque inter ſeſe fuiſſe eos loqui ſolitos.

Fallitur ſecundo Salmaſius, quod Helleniſtas vulgo dictos putat a Græco ſermone, quem adhibebant. Nam etſi Ἑλληνίζειν indicet tum religionem, nempe, *ethnicam Græcorum ſuperſtitionem profiteri*, tum *Græca lingua uti*: heic tamen Helleniſta nomen dumtaxat eſt religionis, non linguæ. Secus enim ſi vere ab Græco ſermone ſic appellati fuiſſent; ipſi etiam Iudæi in Syria, & Græcia nati dici debuiſſent Helleniſtæ; nam hi pariter Ἑλληνίζον, *Græce loquebantur*, quod falſum iam a me, & ab eodem Salmaſio demonſtratum eſt. Sicque ipſe iiſdem difficultatibus premeretur, quas Heinſio obiecit; ac tam valide refutavit in ſuis

libris

libris de Helleniſtis. Atque in hunc etiam errorem lapſus eſt Salmaſius ob Helleniſmum non agnitum in Iudæis; quem ſi agnoviſſet, & conceſſiſſet Iudæos æque, ac Helleniſtas Græce locutos fuiſſe, non certe diſcriminandos putaſſet Helleniſtas ab Iudæis in eo, quod utrique genti commune erat, ideſt in ſermone Græco.

Tertio demum errat Salmaſius, quia Proſelytos, & Helleniſtas confundit. Atqui Helleniſta, ut ſæpe dictum eſt, proprie is eſt, qui Græcorum more vivit, atque eorum retinet religionem. Proſelyti contra erant advenæ quicunque, qui relicta patria, ac propria religione Iudaiſmum amplexabantur. Quapropter Helleniſtæ tantum a Proſelytis diſtabant, quantum ethnica relligio a Iudaica. Præter quam quod Helleniſtæ contemnebantur a Iudaico populo, utpote ab eorum relligione alieni. Proſelyti contra ita Hebræis accepti erant, ut Chriſtus ipſos arguerit apud Matthæum quia circuibant mare, & aridam, ut facerent unum Proſelytum augendæ gentis cauſſa. De quibus plura Maimonides (1). Non igitur veriſimile eſt, horum viduas neglectas fuiſſe ab Hebræis (ut hic in Actis) quod de viduis Helleniſtarum facillime credi poteſt, ob antiquum inter Iudæos, & Helleniſtas diffidium. Igitur ut hoc tandem caput claudam aio, appellatam fuiſſe Helleniſtam gentem illam, quæ a Græcis in Iudæam translatis orta eſt, idque nomen ei ab avita Græcorum religione, quam adhuc inter Iudæos retinebat, fuiſſe inditum; cui quidem genti Græca lingua æque, ac Iudæis vernacula fuit.

Sequitur nunc altera æque nobilis, ſed maioris tamen momenti quæſtio; an fuerit unquam lingua *An exſtiterit unquam lingua Helleniſtica.*

(1) *Maimonides Tract. de Proſelytis Cap. 2. & 3.*

gua Helleniſtica ea ſcilicet, quæ verbis Græcis utitur, phraſibus Hebraicis; ad quam interpretes ad rectam novi Teſtamenti intelligentiam aſſequendam frequentiſſime confugiunt. De ea duplex ſententia eſt.

Daniel Heinſius linguam hanc exſtitiſſe docet, eamque Helleniſticam dictam ab Ἑλληνιστὴς (cui genti ea erat naturalis) ut a ποιητὴς ποιητικὴν. Sicuti poetæ proprios habent loquendi modos, tam in vocabulis, quæ & ipſa poetica cenſentur, quam in phraſi, quæ multum diſtat a pedeſtri oratorum, & hiſtoricorum ſermone, ac quemadmodum poetæ ſunt, ac dicuntur, qui poetico ſermone utuntur: ſic Helleniſtæ vocabantur, qui lingua utebantur Helleniſtica.

Salmaſius contra triplici opere oſtendere aggreſſus eſt, nunquam eam fuiſſe in rerum natura. Cum enim lingua illa, ſive dialectus incognita fuerit veteribus, ab iiſque ne nominata quidem; cumque nulli Græcorum dialecto adnumerari poſſit, non Ionicæ, non Doricæ, non Æolicæ, neque Atticæ; ideo nunquam ea exſtitiſſe cenſenda eſt, ſed a modernis literatoribus conficta. Quare obſervationes, quas ex hac dialecto ad n. T. Heinſius, ceteriqu interpretes fecerunt, pro nugis eruditis habendæ ſunt. Præterquam quod *ut hæc ipſa*, inquit Salmaſius, *ſit*, *oportet aliquos eſſe homines*, *ideſt aliquam nationem*, *quæ hanc linguam uſurparit in propria*, *ac nativa loquela* (1).

Sed cauſſam hanc totam facili negotio Heinſius obtinebit. Si enim lingua Helleniſtica a Machabæorum ævo in Iudæa, ac Iudæis omnibus vernacula fuit, quod hoc opere demonſtrandum ſuſcepi-

(1) *Salmaſius in Comm. de Hellen. pag.* 84. *Et in Funere Linguæ Hel. p.* 8. *&* 10.

pimus; iam ergo habemus gentem, quæ ea uſa fuerit. Iudæi enim qui olim Hebraice, tum Chaldaice, aut Syriace loquebantur, cum Græcam linguam ab Alexandri ſucceſſoribus, ideſt ab Ægyptiis, Syris, ac Macedonibus adſciſcerent, non potuerunt quin multas locutiones tam ab Hebraica, quam a Chaldaica lingua retinerent; neque ſolum ab his, verum etiam complures ab Ægyptiis, Syris, & Macedonibus idiotiſmos exciperent, & Græco ſermoni immiſcerent; unde porro exculpſerunt dialectum hanc Græco-barbaram. Hinc Iudæi, qui ab ævo Machabæorum ſcripſerunt, & præſertim qui verſionem ſeptuaginta viralem adornarunt, omnes utique iſtiuſmodi dialecto uſi ſunt mixta ex locutionibus Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Macedonicis, Ægyptiis. Et quoniam paullo poſt Iudæi cum Romanorum imperio nonnullas Latinas voces exceperunt; factum eſt etiam, ut ſequioris ævi ſcriptores, & præſertim n. T. auctores præter enumeratos etiam Latinos idiotiſmos adhiberent. Quod adeo verum eſt, ut idem Salmaſius dixerit, *aliam eſſe etiam Helleniſticam novi Teſtamenti, aliam veteris. Iſta enim Latiniſmis caret, qui in illa ſunt* (1). Quin in eodem novo Teſtamento, & in auctoribus ſequioris ætatis variant Helleniſtæ, pro locorum, in quibus orti ſunt, varietate. Matthæus, Ioannes, Petrus, Iacobus patria Galilæi alia Helleniſtica utuntur, quam Paullus Tarſenſis, & Lucas Antiochenus. Omnes tamen (ſi paucos excipias, & præſertim Ioſephum Flavium, qui ſtili elegantiam, ac dicendi veneres a Græcis comparavit) uno Helleniſtico ſcribendi genere uſi ſunt. Ceterum neſcio quo pacto, quove conſilio vir alioquin doctiſſimus

(1) *Salmaſius in Oſſilegio pag. 294.*

mus contra linguam iſtam, tanquam pro aris, & focis, pugnaverit, qui tamen multis in locis, dum eam delere funditus conatus eſt, validiſſime confirmavit. Nam dum, quod ſæpe facit, concedit, LXX interpretes, & ſacri n. T. ſcriptores Græciſmo uſos valde impuro, quippe ex Hebraiſmis, & Syriaſmis mixto, fatetur non aliam eſſe linguam hanc Helleniſticam dictam, nec aliam eo nomine ab Heinſio intelligi. Hoc autem quid aliud eſt, quam re ipſa approbare, quod verbo neges?

Sed occurrit Salmaſius, ac fatetur quidem, ſacros auctores idioma eiuſmodi uſurpaſſe, ſed male illud ab Heinſio, & eruditis appellatum fuiſſe dicit *dialectum Helleniſticam:* eo quod, inquit, *ex his, quæ propoſuimus, ſole manifeſtius liquet ejuſmodi eloquutionem Græcam, quæ nec ullius certæ gentis unquam propria fuerit, nec certas habuit notas verbis inhærentes, quibus diſcerneretur ab aliis dialectis, non poſſe videri dialectum, nec teneri definitione dialecti* (1). Atque in hoc nodo ſolvendo totus pene eſt in libris ſuis de Helleniſtis.

Sed ejus pace dicam, hoc pacto non reſpondere argumento eſt, ſed illius vim declinare. Non enim quæritur, rectene an ſecus linguam hanc dialectum Helleniſticam nominarint; ſed utrum exſtiterit ea unquam, fueritque in rerum natura. Perperam ſic eam nominarint; detur, ſed quid inde? iccircone extitiſſe illam negabimus, quod qui Helleniſticam eam modo appellant male appellant? Si utique concedit Salmaſius, conſtatque inter omnes linguam hanc etſi barbaram, diverſamque a reliquis Græciæ dialectis exſtitiſſe, quid refert illud unum urgere, mereatur necne dialecti nomen? Non eſt ergo, cur de exſiſtentia ejus linguæ quiſ-

(1) *Salmaſ. Comm. de Hellen. p.* 84.

quiſquam dubitet, id quod fuſius ſuo loco demonſtrabitur.

Interim quod ad ejus linguæ nomen pertinet; Heinſius, uti dictum eſt, Helleniſticam dialectum dictam putat ab Helleniſtis, quibus erat familiaris. Sed concedendum Salmaſio, nomen illud a recentioribus cuſum fuiſſe, ſiquidem nullius antiquorum ejus meminit. Ac concedendum erraſſe Heinſium, qui eam ab Helleniſtis nominavit. Nihilominus non male eam recentiores critici dialectum peculiarem conſtituiſſe opinantur; quidquid contra proferat Salmaſius. Nam ex ipſius etiam decretis liquet, linguæ huic dialecti nomen aptari poſſe; cum non modo ſacris ſcriptoribus, ſed univerſæ nationi Iudaicæ propria fuerit, ac vernacula. Quod vero attinet ad ipſum nomen *Helleniſtica*, quo vulgo hanc linguam appellant; fateor nec mihi etiam illud integre ſatisfacere; qui proinde mallem eam nominare dialectum Iudaicam, ſeu Græco-Iudaicam, quippe quæ illius regionis ſcriptoribus adeo fuit propria, ut præter eos nemo ejuſmodi loquendi modos uſurparit. His complura adjici poſſent, quibus ſuperſedeo; ne diutius in vocabulorum lite immorer.

Qua de re concludere iam licet, etſi in priori controverſia Salmaſii partes quodammodo ſecutus ſum, tamen in hac altera in Heinſii ſententiam pedibus ire neceſſe eſſe; cum reipſa lingua hæc Græco-barbara exſtiterit, quod vel ex ipſo Salmaſio approbatur. Ea enim (ut in ſequenti parte demonſtrabo) in Iudæa, ac Iudæis omnibus a Machabæorum ævo fuit vernacula, ac proinde ſacri Scriptores eamdem tanquam ſuam, ac propriam uſurparunt. Ex quo perſpicuum eſt, valde neceſſariam, eſſe ipſius notitiam, recteque eos face-

Anacephalæoſis.

XVI. Nunc ut vela orationis contrahamus, patet quidem I. Alexandrum Iudæam ſubieciſſe Græco imperio, ac paullo poſt Hebræos ab ejus exercitu reduces Græcam linguam eo intuliſſe; II. Samariam Macedonibus oppletam, pulſis Samaritanis omnibus; III. Iudæos ad ſeptuaginta millia Græcam linguam ex Ægypto in Iudæam tranſtuliſſe; IV. Iudæos pene innumerabiles e Syria in Iudæam translatos cum epocha, & moribus Græcorum etiam Græcam linguam ſecum invexiſſe; V. Pontificem Iaſonem populares ſuos ad ritus Græcorum traducere adniſum fuiſſe, quod illi libentiſſime præſtiterunt; VI. plurimum profeciſſe in Iudæa Helleniſmum ſub Pontifice Menelao; VII. Antiochum Epiphanem omni conatu Græcorum linguam, mores, ac leges firmare in Iudæa adniſum fuiſſe; VIII. Græcas colonias Hieroſolymis ſtatuiſſe Antiochum, ac quoſdam præfeciſſe qui Iudæos ad Græcandum cogèrent; IX. Samaritanos, Sicimitas ſponte ſua Græcorum ritus, ac mores recepiſſe, templumque Garizitanum Græco numini dedicaſſe;

re, qui in enucleandis novi Teſtamenti, ac ſeptuaginta verſionis nodis, ad eam confugiunt; qua quidem ſi careant ſacrarum literarum ſtudioſi, non erit, cur ſacrarum paginarum ſenſum, & intelligentiam aſſequi ſe poſſe confidant.

caſſe; x. Antiochum Epiphanem edicto ſtatuiſſe, ut omnes Iudæi Helleniſmum amplecterentur, relictis Iudaicis omnibus inſtitutis, mortis pœna non obtemperantibus propoſita; xi. Eumdem Antiochum etiam occaſiones præcidiſſe, quæ Iudæos averterent a ſuſcepto Helleniſmo; xii. Pontificem Alcimum magnopere in Iudæa Helleniſmum amplificaſſe; xiii. Iudæam univerſam Græcis coloniis per annos undeviginti infeſſam fuiſſe, quæ Iudæos ad Græciſſandum coegerunt; xiv. Græcanicam philoſophandi rationem, Græcaſque ſectas adoptaſſe; xv. ſubſecutos Reges Iudaicos Hellenibus, atque Helleniſmo faviſſe nimis. Hæc autem cum pateant, cumque ſatis in confeſſo ſit, Iudæos annos centum nonaginta Græcorum iugo fuiſſe preſſos, eritne quiſquam qui Iudæos Græcam linguam, relicta Chaldaica, ſuſcepiſſe neget? Quare claudam hunc quidem locum ingenioſiſſimi, ac doctiſſimi Iſaaci Voſſii verbis, quæ religio mihi fuerit præterire (1); *Ubicunque*, inquit, *jam ab Alexandri Magni temporibus Græci fuere domini, ibi etiam Græca prævaluit lingua, & abſurdum eſt unam excipere Judæam, cum & Ioſephus, & Machabæorum libri ſatis teſtentur, quam prompti ſub Græcis Regibus fuerint Iudæi in aſciſcendis Græcorum moribus, adeo ut major*

(1) *Iſac. Voſſius de Sybillinis Oraculis pag. 290.*

pars Græci, quam Iudæi videri maluerint. Linguam Græcam, ideſt linguam dominantium etiam illi, qui Græcos oderant, ſi intelligi, & rebus ſuis vellent conſulere, addiſcere cogebantur: ut in Ægypto, Aſia, & reliqua Syria, ita quoque in Iudæa nulla præter Græcam audiebatur lingua.

PARS ALTERA.

CHRISTVM, APOSTOLOS, IVDÆOS OMNES HELLENISTICA LINGVA VSOS FVISSE ARGVMENTIS OSTENDITVR.

QVemadmodum Græca lingua in Iudæam illata fuerit, ſatis, ut ego quidem arbitror, hactenus demonſtratum eſt. Sequitur nunc ut rationes proponam, quibus Iudæos omnes, Chriſtum, Apoſtolos nullo alio quam Græco ſermone uſos eſſe conficiam. Quod quidem non ante mihi videtur fieri oportere, quam quædam prælibem, quæ magnam tractationi huic lucem ſint allatura. Hinc ergo exordium capiemus.

Ac primo, centum nonaginta novem ante Chriſtianam epocham annis late receptum fuiſſe in Iudæa Græcum ſermonem, altaſque illic radices egiſſe ſub Antiocho Epiphane iure mihi videor poſſe hoc loco ſumere.

Secundo, Iudæosretinuiſſe linguam Chaldaicam uſque ad ævum Machabæorum; ita quidem ut tamen bilingues tunc fuerint. Inter ſe enim Chaldaice loquebantur (quam *linguam patriam*

Digitized by Google

appellabant) cum exteris autem Græce, qui ſermo dominatum in eos exercentibus vernaculus erat. Quam rem pluribus locis teſtatam reliquerunt libri Machabæorum, & Flavius Ioſephus, qui Græcam linguam noviter inve&ctam ab antiqua lingua patria diſtinguunt. Sic in poſteriori Machabaico libro ſecundum fratrem Machabæorum interroganti ſibi, ſi carnes ſuillas manducare mallet, an mori? legimus reſpondiſſe patria lingua; *At ille reſpondens patria voce dixit, non faciam*. Et paullo poſt; *Singulos illorum* (mater) *hortabatur voce patria fortiter*. Sic quoque mater vocata ab Antiocho ut ſuperſtiti uni jam filio ſuaderet, ne a ſuillis carnibus abſtineret, Græco ſermone Regi quidem ſe id factūrum promiſit; at contra filio ſuaſit patrio idiomate, ne faceret; *Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce; fili mi miſerere mei... ne timeas carnificem iſtum, &c.* (1). Et Iudas Machabæus contra Gorgiam pugnans patrio quoque ſermone milites ſuos hortatus eſt. *Invocavit Iudas Dominum adiutorem, & ducem belli fieri; incipiens patria voce, &c.* (2). Quod & fecerunt Iudæi, cum Gorgiæ exercitum profligarunt; *Iudæi itaque facto clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Do-*

(1) *Lib. II. Macb. Cap.VII. v.8. 21. 27., & ſeq. Ioſeph. de Imp. Rationis pag. 513. §.12. p. 517. §. 16.*
(2) *Lib. II. Macb. Cap. XII. v.36., & 37.*

Dominum benedicebant, *&c.* (1). Et ut melius interpres Syrus qui *lingua patria* vertit, quam patriam linguam fuiſſe linguam Syriacam, ex eodem ſecundi libri auctore plane colligimus (2). Hanc denique temporis lapſu ſenſim reliquerunt Iudæi ob longam illam cum Græcis colonis conſuetudinem, qui Iudæam incoluere annis undeviginti, ab anno ſcilicet CLXI uſque ad CLXII. ante Chriſti epocham; ut ſupra dictum eſt. Quare dehinc Græcum tantum idioma retinere cœperunt Iudæi, Chaldaico repudiato.

Tertio animadvertere, imo repetere licet, Iudæos non aliam adhibuiſſe dialectum niſi Helleniſticam. Veteres enim Iudæi Chaldaicæ linguæ aſſueti, etiam cum Græcam linguam exceperunt, Hebraicas, & Chaldaicas aliquot phraſes, & idiotiſmos retinuerunt. Veluti; Ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *Filius perditionis*, pro *homine valde perdito*; Τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, pro *hoc mortali corpore*; Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Amen dico vobis*, pro *verum dico vobis*. Sic εἰς γέενναν, *in gehennam*, pro *in locum pœnarum*; Ὡσαννὰ, pro *ſalvum fac*; Ῥαββί pro *Magiſter*; Ῥαββωνί pro *Magiſter mi*; *Cæli cælorum*, pro *ſummo cælo*; *Loqui ad cor*, pro *conſolari*; *Facite juſtitiam*, *&* *judi-*

(1) *Lib. II. Mach. Cap. XI. v. 19.*
(2) *Lib. II. Macb. Cap. XV. v. 37.*

judicium, pro *juſto judicio*, & alia hujuſmodi, ſexcenta, de quibus plura Salamon Glaſſius (1), Brianus Waltonus (2), ac maxime omnium in ſyntagmate diſſertationum philologicarum de ſtilo novi Teſtamenti Iacobus Rhenferdus. Hanc igitur Græcam dialectum (quam ſacri critici Helleniſticam vocant) uſurpavit Chriſtus, Apoſtoli, ac Iudæi omnes iam inde ab ætate Machabæorum, quod demonſtrandum aggredior hac Parte. Ac primo oſtendam Iudæis omnibus ab ætate Machabæorum vernaculam fuiſſe linguam Helleniſticam; deinde magis adhuc ſpeciatim, ac proprie eamdem quoque Chriſtum, & Apoſtolos adhibuiſſe probabo.

CAPVT I.

Probatur iam inde ab ætate Machabæorum vernaculam fuiſſe apud Iudæos linguam Helleniſticam, eaque vulgo illos locutos fuiſſe.

Ab ævo Machabæorum

CUm veteres ſcriptores plerumque eodem, quo vulgo loquebantur, ſermone libros

(1) *Glauſſis in Philologia Sacra.*
(2) *Walton in Proleg. Polygl. p.* 45. *ad* 48.

bros conſcripſerint; tum multo magis id moris fuit apud Hebræos, qui nullam ſibi rem cum profanis volebant eſſe, ſed ſibi, ac ſuis tantum ſcribebant. Immo indecorum apud ipſos erat alienæ linguæ ſtudium, ſive in propria ſcribere exquiſite: quod, ut ait Ioſephus, ingenuorum infimis hujuſmodi ſtudium cum ſervis quibuſcunque commune eſſe arbitrabantur (1). Quare nulla alia lingua, nec dialecto ſcribebant, quam qua vulgo loquebatur populus. Hinc factum eſt, ut Hebraice loquentibus Hebræis, Moſes, Ioſue, Samuel, David, Salomon, &c. libros ſuos ediderint Hebraico ſermone. Cumque in Babylonica captivitate Chaldaicam linguam Iudæi amplexati eſſent; iccirco factum eſt, ut Eſdras, Daniel, Nehemias Chaldaice ſcripſerint, atque adeo etiam Lex ipſa in Chaldaicam linguam converſa fuerit, quod teſtatur R. Azarias (2), & R. Gedalias (3). Nunc cum ab ævo circiter Machabæorum libri omnes tam *κανονικοὶ*, quam *ἀκανόνιστοι* non alio, quam Græco ſermone fuerint exarati; immo cum reliquos libros Hebraice, & Chaldaice conſcriptos, tunc temporis Græce verterint Iudæi, quis non mecum fateatur Græcam linguam fuiſſe proinde Iudæis familiarem, ac vernaculam? Sed

Iudæi Helleniſtice ſcripſerunt

(1) *Ioſeph in Antiquitat. in fine.*
(2) *R. Azar. in Lib. Meor Enaim Cap. 8., & 9.*
(3) *R. Gedalias apud Waltonum IX. Prol. p. 60. n. 14.*

Sed ordine libros, ac ſcriptores huiuſcemodi recenſeamus. Vtque ab illis qui in canonem admiſſi ſunt, initium ſumamus; ab anno uſque centeſimo ſexageſimo circiter ante Chriſtianam epocham liber Sapientiæ Græco ſermone ſcriptus fuit a Philone ſeniore (1), quem librum Græce pariter Πανάρετον, quaſi omnium virtutum complementum continentem, cognominabant Iudæi. Per idem tempus Hebraicum librum Eccleſiaſtici in Græcam linguam vertit Ieſus filius Sirach Hieroſolymitanus. Sic tertius liber Machabæorum (qui ordine primus eſt) Græce fuit conſcriptus. Secundus item, qui quartum locum obtinet, Græco ſermone conditus fuit. Sic pariter primus liber, quem Græco primum ſermone auctor compoſuit (*), quod vidit clariſſimus Beveregius (2).

(*) Guilielmus Beveregius unus, quem ſciam rem hujuſmodi divinavit: vulgus autem eruditorum putat, librum hunc Hebraice, ſeu mavis Chaldaice primum ſcriptum fuiſſe. Sed age videamus quibus ipſi rationibus nitantur.

Nituntur primo Origenis teſtimonio, qui ait; Ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκὰ ἅπερ, ἐπιγέγραπται Σαρβὴθ Σαρβανὲ ἐλ. *Extra horum cenſum ſunt libri Machabæorum, qui inſcribuntur Sarbet Sarbane el* (3).

Ex

(1) *V. Hieronym. Præfat. in Proverb. Salomon. T. IX. p. 1294 Huet in Dem. Evan. Prop. IV. de Lib. Sapien. §. 11.*

(2) *Beveregius apud Cotelerium Cap. IX. § II. Tom. 3. p. 111.*

(3) *Origenes Comm. in Pſalm. I. T. II. p. 529. Edit. Paris*

Ex hoc Hebraico titulo inferunt, priorem hunc librum fuiſſe Hebraico ſermone compoſitum . Sed hac ratione ne ipſi quidem adverſarii magnopere niti debent . Nam ſi ex Hebraico lemmate priorem hunc librum Hebraice ſcriptum fuiſſe deduci poſſet ; conſequens eſſet , ſecundum , ac tertium librum , quippe qui uno volumine cum primo continentur , fuiſſe Hebraico idiomate exaratos : eoque magis quod non de primo tantum libro loquitur Origenes , ſed de omnibus , *τὰ Μακκαβαϊκά*, *libri Machabæorum* . Id autem nullus adhuc affirmare auſus eſt : omnes enim libros illos Græca lingua ſcriptos eſſe docent . Quapropter ſi ſibi ipſis conſentanei velint eſſe eruditi , nihil quidquam ſe Origenis teſtimonio proficere fateantur oportet .

Nituntur ſecundo Hieronymi auctoritate , qui librum hunc Hebraica lingua conſcriptum legiſſe ſe ait in prologo galeato his verbis ; *Machabæorum primum librum Hebraicum reperi* . Sed nihilo magis eos iuvat Hieronymus . Qui non id aſſerit, librum Hebraica lingua primum fuiſſe compoſitum ; ſed tantum ſe Hebraice deſcriptum reperiſſe . An nihil inter utrunque intereſſe putant ? Sed adverte magis etiam , ſacros libros omnes iam olim ante Hieronymum in omnes omnium fere gentium linguas fuiſſe converſos , puta in Perſicam , Indicam , Scythicam , Threiciam , Sarmaticam , Mauram , Armeniam , Romanam , Britannicam , &c; teſte Euſebio (1) , nec non Theodoreto (2) , & Anaſtaſio Sinaita (3) ; multo magis in Hebraicam , utpote ſanctam linguam , verſi fuerunt, qui aliter ſcripti ſunt libri . Dicamus igitur Hieronymum

(1) *Euſebius de Laud.Conſtant. pag.772. T.I. ex ed.Can.*
(2) *Theodoretus V. Therapeut. pag.555. T.IV. , ed.Sirm.*
(3) *Anaſtaſ. Sinait* Ὁδηγὸς *Cap. XXII. p.339.*

nymum in Hebraicam interpretationem eius libri ex Græco concinnatam ab aliquo Iudæo incidiſſe. Quod manifeſto etiam ex eiuſdem verbis apparet, cum ait; *Machabæorum primum librum Hebraicum reperi.*

Nituntur tertio, quod tum Latina verſio, tum Græca (quam etiam verſionem appellant) Hebraiſmis oblitæ ſint: unde Hebraicam prorſus originem ſapiant. Sed, nunquid Evangelium, Epiſtolæ, & Apocalypſis Ioannis, Epiſtolæ Petri, Paulli, Iacobi æque Hebraiſmis oblitæ ſunt? Tamen quis adhuc negavit eas Græce primum fuiſſe ſcriptas? ſed eſto: primum librum Machabaicum Hebraice ſcripſerit auctor, eumque Hieronymus legerit; ubi eſt nunc Hebraicus textus iſte? Non exſtat amplius, ajunt: Græca dumtaxat verſio, Hebraico codice perdito, ætatem tulit. Num igitur credibile eſt majores noſtros, Eccleſiam, Concilia, Patres, cautius ſervandam curaſſe Græcam verſionem hujus libri, quam ipſum Hebraicum volumen? Credat id Iudæus Apella, non ego. At ne quiſquam quidem eſt doctiorum recutitorum, cui perſuaderi hoc poſſit. Quare cum nulla ſatis firma ratio, nullaque auctoritas nos doceat Hebraice ſcriptum eſſe hunc librum; ſane magis eſt ut dicamus Græce eum primum, quemadmodum reliquos libros Machabæorum, ceteroſque, qui tunc temporis in lucem prodierunt, ſcriptum fuiſſe. Ac propterea Græcum exemplar ejus libri tanquam nativum textum agnoſcendum eſſe, non tanquam verſionem ab Hebraico codice deperdito, concinnatam. Præter quam quod id ipſum ex eodem libro manifeſte confici videtur. Etenim multæ ibi exſtant epiſtolæ a Græcis ad Hebræos miſſæ: veluti ſunt binæ epiſtolæ Spartanorum ad Hebræos (1); toti-

(1) *Lib.I. Mach. Cap.XII. v.XXII. & Cap.XIV. v.20.*

totidem Demetrii Soteris Regis Syriæ ad Ionathan (1); & alia Alexandri Balais ad eundem (2); item Demetrii Nicatoris ad Simonem Machabæum (3); denique Antiochi Sidetis ad Simonem (4), quæ quidem, utpote a Græcis miſſæ, quibus Græca lingua patria erat, Græco ſermone conſcriptæ fuerunt, quod negari non poteſt. Nunc ponamus librum hujuſcemodi Hebraice fuiſſe exaratum: auctor ergo epiſtolas illas aut Græce loquentes, aut in Hebræum verſas hiſtoriæ ſuæ inſeruit. Græcas dicere epiſtolas Hebraicæ hiſtoriæ aſſutas fuiſſe, hominis eſt parum conſiderate loquentis, nedum ſacrarum litterarum imperiti. Si autem eas in Hebræum ipſe vertit; tunc monere lectorem debuiſſet, fuiſſe epiſtolas illas vel Græce ſcriptas, vel de Græco converſas. Nam ea eſt Scripturarum conſuetudo; ut ſi qua epiſtola, oratio, vel inſcriptio alieni ſermonis inſeri debeat, moneantur nihilominus lectores, qua lingua primum conſcriptæ fuerint, vel unde verſæ. Sic Eſdras dum recitat literas Beſelam, Mithridatis, & Thabeel ad Artaxerſem ait; *Epiſtola ſcripta erat Syriace, & legebatur ſermone Syro hujuſcemodi, Artaxerſi. Regi ſervi tui viri, qui ſunt transfluvium ſalutem dicunt* (5). Sic in libro Eſther; *Et miſit epiſtolas ad univerſas provincias regni ſui, ut quæque gens audire, & legere poterat diverſis linguis, & literis* (6). Et paullo poſt; *Scriptæ ſunt epiſtolæ ad Iudæos, & ad principes, procuratoreſque, & judices, qui centum viginti ſeptem provinciis ab India uſque ad Æthiopiam præſidebant, provinciæ atque provinciæ, populo & populo juxta linguas, & literas ſuas, & Iudæis prout legere poterant, & audire .... ſummaque epiſtolæ*

hæc

(1) *Lib. I. Mac. Cap. X. v.* 25. *Cap. XI. v.* 30.
(2) *Ibid. v.* 18. (3) *Cap. XIII. v.* 36.
(4) *Cap. XV. v.*2. (5) *Eſdras Cap.IV. v.*7. & 11.
(6) *Eſther Cap. I. v.* 22.

Quartus denique etſi ἀνώνυμος, & apocryphus ſemper habitus ſit, cum Græce pariter

hæc fuit, ut in omnibus terris, & populis, &c. (1) Idem dic de orationibus: ut apud Iſaiam; *Et ſtetit Rabſaces, & clamavit voce magna Iudaice, & dixit: audite verba Regis magni* (2). Sic apud Danielem; *Reſponderuntque Chaldæi Regi Syriace; Rex in ſempiternum vive: dic ſomnium, &c.*, (3). Sic pariter in libro Paralipomenon; *Sennacherib clamore magno lingua Iudaica contra populum locutus eſt* (4). Et in Actis Apoſtolorum; *Paullus ſtans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto, allocutus eſt lingua Hebræa dicens; viri fratres, & patres audite, &c.* (5) Item in eodem libro; *Turbæ autem cum vidiſſent quod fecerat Paullus, levaverunt vocem ſuam Lycaonice dicentes: Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos* (6). Idem dicas licet de inſcriptionibus, ut videre eſt apud Lucam; *Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis. Hic eſt Rex Iudæorum* (7). Sic etiam Ioannes in Evangelio; *Erat autem ſcriptum Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum Hebraice, Græce, & Latine* (8). Et alibi.

At nihil tale accidit in primo Machabaico, cum præfatæ Græcæ literæ inſeruntur, quæ nullum præbent veſtigium interpretationis, nec indicat auctor fuiſſe illas Græce ſcriptas. Quare liber ipſe non alio, quam eodem ſermone conſcriptus eſt, quo & literæ eædem, ideſt Græco.

(1) *Ibid. Cap. VIII. v. 9. & ſeq.*
(2) *Iſaias Cap. XXXVI. v.13.*
(3) *Daniel Cap.II.v.4.* (4) *Paralipom. C.XXXII.v.18.*
(5) *Act. Apoſt. C. XXI. v. 40.*
(6) *Act. Apoſt. C. XIV. v. 10.*
(7) *Luc. Ev. C. XXIII. v. 38.*
(8) *Ioannes Ev. Cap. XIX. v. 20.*

riter ſcriptum in Bibliotheca Sanctis Pagnini Lugduni reperiſſe ſe refert Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta (1). Ac tandem reliqui antiqui fœderis libri poſt Machabæos etiam in Iudæa Græce loqui cœperunt in Iudæorum gratiam, ac ſolatium, quod fuſe in fine hujus operis oſtendemus. Atque hæc de veteris; idem nunc dicas de tabulis novi Teſtamenti. Nam quod ad Matthæi Evangelium, fuiſſe illud compoſitum lingua Helleniſtica, ita demonſtratum eſt a recentibus eruditis, ut jam nullus propemodum relictus ſit dubitandi locus. Helleniſtice pariter Evangelium ſuum Marcus conſcripſit. Neque aliter Ioannes patria Galilæus, arte piſcator, ſuum item Evangelium, tres canonicas Epiſtolas, & librum Apocalypſeos. Paullus Helleniſtice ſcripſit Epiſtolas quatuordecim, & eam præterea, quæ miſſa eſt ad Hebræos (2). Et Iacobus cognomento Iuſtus catholicam Epiſtolam eodem ſermone conſcripſit. Simon Petrus etiam Græce binas Literas edidit. Nec alia lingua Apoſtolus Iudas uſus eſt in ſua Epiſtola catholica. Nunc tempus eſt, ut ad eos ſcriptores qui extra canonem vagantur ſe convertat oratio. Ac primo antequam Machabæi duces rerum potirentur, claruit Philo ſenior

F patria

(1) *Sixtus Senen. in Biblioth. 5. Lib. 1. T. I. p. 51.*
(2) *Vide, quæ in fine operis adnotavimus.*

patria Iudæus, ut Hieronymus teſtatur: qui plura Græco ſermone ſcripſit, velut de Regibus Iudæorum, de Hieroſolymis; quorum fragmenta poeticis numeris adſtricta recitat Alexander Polyhiſtor apud Euſebium (1). Ezechiel tragicus poeta Iudæus plurima Græco ſermone luſit, ex quibus ætatem tulit carmen, quod ipſe Ε'ξαγωγὴν inſcripſit, quo carmine Hebræorum fugam duce Moſe explicat; ejuſque fragmenta Fridericus Morellus, & Iacobus Lectius ediderunt. Eleazaro Iudæorum Pontifici (qui vulgo creditur ſeptuaginta ſenes ad Ptolemæum miſiſſe, qui vetus Teſtamentum Græce converterent) Græca nonnulla tribuuntur carmina (2). Eupolemus filius Ioannis (quem Iudas Machabæus Romam legavit (3)) edidit Græcam hiſtoriam, quam Α'ρχαιογονίαν inſcripſit, in qua Moſis, & Iudaicæ gentis antiquitatem, ut a Ioſepho Flavio factum eſt, perſecutus eſt, teſte Hieronymo (4). Cleodomus Malchus patria Iudæus, ut recte putant nonnulli, quod vel nomine ipſo probatur, hiſtoriam rerum Hebraicarum Græce ſcripſiſſe fertur, magna ex parte a Moſe deſumptam, ut ait Polyhiſtor Alexander (5). De-

(1) *Euſebius Præp. Evang. L.IX. Cap.XX, & XXIV.*
(2) *V. Sgambatum in Lib.III. Tit.IX. p.479. Arch.V.T.*
(3) *Lib.I. Mach.Cap. VIII. v.17. Lib.II. Cap. IV.v.11.*
(4) *Hieronym.de viris Illuſtribus in Cl.Alex.col.865.T.II.*
(5) *Alex. Polyh. apud Ioſ. in Ant. I. L. C. XV. p. 44.*

Demetrius item Iudæus Eupolemo æqualis Græce etiam compoſuit Ἀρχαιογονίαν, ac librum de Regibus Iudæorum, cujus ſæpe meminit Clemens Alexandrinus (1). Phocylidis, quem Iudæum, immo Phariſæum fuiſſe multis probat Scipio Sgambatus (2), exſtat Græcum carmen Νȣθετικόν. Ariſtobulus (non ille cujus mentio habetur libro Machabæorum, ſed alius patria Iudæus, quemque inter ſeptuaginta interpretes retulit Anatolius apud Euſebium (3)) Pentateuchi explanationem Græco ſermone lucubravit. Lyſimachus Hieroſolymitanus, filius cujuſdam Ptolemæi, Græce interpretatus eſt librum Eſther, ſeu potius epiſtolam de feſto Purim (4). Flavius Ioſephus Hebræorum eloquentiſſimus Veſpaſiani ævo plures libros Græce conſcripſit, qui etiamnum ſuperſunt, idque dicendi genere adeo eleganti, & polito, ut merito Græcus Livius audiat apud vulgus eruditorum. Ioſephi æqualis, & adverſarius fuit Iuſtus Tiberienſis, Tiberiade apud Galilæos natus, qui Chronicon Regum Iudæorum Græco ſermone lucubravit. Præterea Ioſeph quidam fuit Galilæus Tiberienſis, qui Hipomneſticum compoſuit, ut putat Voſſius de hiſtoricis Græcis. His addi poſſunt

 innu-

(1) *Clem. Alexandr. Stromat. Lib. I. pag.405. ed.Oxon.*
(2) *Sgambatus Archivor. Vet. Teſt. Lib.III.tit.16.p.504.*
(3) *Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. VII. cap. 32.*
(4) *Calmet. Proleg. in Lib. Eſther T. III. p. 518.*

innumera alia Apoſtolorum ſcripta, quæ tam recepta, quam rejecta memorantur apud veteres: cujuſmodi ſunt Petri Liturgia ſacra, Prædicatio, Evangelium, Actus, Revelatio, Iudicium; Iacobi Evangelium, Liturgia, Proto-Evangelium. Paulli Evangelium, Apocalypſis; Paulli, & Teclæ Actus, Epiſtola ad Laodicenſes, ad Corinthios Epiſtola tertia, ad Theſſalonicenſes item tertia &c.; Canones Apoſtolorum, Symbolum, Conſtitutiones Græco ſermone compoſita, de quibus fuſe Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta, & Fabricius in Codice apocrypho veteris Teſtamenti. Quare, ut hunc locum claudam, cum iam inde a Machabæis Iudæi quicunque libros conſcripſerunt, Helleniſtice locuti ſint, erit ne quiſquam, qui neget linguam illam tunc temporis vernaculam ei genti fuiſſe?

Iudæorum numi inſcribantur Græce.

II. Nunc numiſmata inſpiciamus, quorum teſtimonium nemo, niſi omnis antiquitatis expers, non lubentiſſime excipiat. Ac ſane priſcis nequaquam id moris fuit, quod noſtris Regibus modo eſt, qui numos plerumque non vernacule, ſed Latine inſcribunt. Illi qua lingua vulgo utebantur, eadem numiſmata inſcribebant; ut ex iis non modo qui cujuſque populi ſermo fuerit, ſed etiam quæ ejus ſermonis origines, quæ mutationes, & incrementa certiſſimis veluti fatentibus teſtibus convincamus. Appoſite ad hanc

rem

rem doctiſſimus Spanhemius ; *Hinc* ait , *& indubiæ linguarum origines , & primæ , ac ſubinde mutatæ dein literarum formationes , varia ætatum diſcrimina , plurimi quadratariorum errores , aliaque recondita eruditæ antiquitatis arcana feliciter eruuntur* (1) . His animadverſis aio , longe ante Chriſtum natum omnia numiſmata apud Iudæos , Galilæos , Samaritanos , finitimaſque civitates Græce fuiſſe inſcripta . Ac ne tempus fruſtra omnibus enumerandis teramus, age paucula ex ſelectioribus exhibeamus.




Numus Herodis magni cum uva , qua ager vini ferax deſignatur in vineis Engaddi , Græciſque literis ΗΡΩΔΟΥ . In averſa parte Harduinus putat eſſe lilium Phaſeliticum : Spanhemius (quem ſecuti ſunt alii) rectius autumat eſſe galeam , quam ornat cauda equina cum epigraphe ΕΘΝΑΡΧΟΥ (2) . Numus hic jam qua-

 dra-

(1) *Spanhemius Diſſ.II.* §.1. *Tom.*1. *p.*61. *ed. Lond. Calmet Diſſ. ſur les Medail. Hebraiq. in Dict.T.* 1. *pag.*76.
(2) *Spanhemius Diſſert. VIII. p.*520. *de uſu , & p.N.*

draginta ante Chriſtianam epocham annis, fuit cuſus; Herodes enim anno quadrageſimo Regis appellatione fuit honeſtatus.



Alius Herodis Magni numus, quem refert laudatus Spanhemius (1), atque exſtare ait in gaza regia Gallorum. In eo hinc ara accenſa; inde vero apex Pontificis maximi, ut quibuſdam videtur, ſeu mavis galea, ut eidem Spanhemio placet, conſpicitur, cum Græca inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΗΡΩΔΟΥ. Ex quo patet, illum ab eodem Herode iam Rege, fortaſſe poſt templi ſecundi ædificationem cuſum fuiſſe.



Hic eſt Herodis Antipæ, Herodis Magni filii

(1) *Spanhemius loc. cit. pag.* 522.

filii numus, cujus plurima exſtant numiſmata (1). In priori parte palmæ ramus, quod eſt Iudææ, ac Galilææ ἱερογλυφικὸν, Iudæa enim, & Galilæa palmetis totæ conſitæ ſunt, ut teſtatur Plinius (2), cum Græca inſcriptione ΗΡΩΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, & additis numeralibus L. ΛΔ, anno XXXIV ejuſdem Herodis Tetrarchiæ, quæ XXXVII Chriſti anno reſpondet. In altera parte laurea cum duabus in medio literis N. K.



Hactenus allatis numis hos addo Herodis Agrippæ, in quibus duo Hebræorum feſti dies deſignantur, hoc eſt Tabernaculorum, & Pentecoſtes (3). Nam tentorium quod in anterioribus partibus expreſſum eſt, Tabernaculorum feſtum deſignat, ſpicæ vero, quæ in poſticis ſculptæ ſunt, Pentecoſtem: iidemque tandem Græce inſcribuntur ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΑΓΡΙΠΑ *Regis Agrippæ*, aut ſimpliciter ΑΓΡΙΠΑ. Græce pariter inſcriptos fuiſſe XXX. numos qui Iudæ dati ſunt ad Chriſtum proden-

(1) *Vide Spanhemium loc. citato pag. 527.*
(2) *Plinius T. 1. p. 682. v.26. Lib. XIII. cap. 4.*
(3) *Vide Spanhem. loc. cit. p.528. Calmet l.cit.n.* XX.

dendum, docent Ioannes Villalpandus (1), Antonius Auguſtinus (2), aliique; quorum icon ſequens eſt.



Habet una parte caput coloſſi Rhodienſis radiatum, in altera florem cum Græca inſcriptione ΡΟΔΙΟΝ; quæ omnia in inſula Rhodo cuſum eum fuiſſe docent. Horum numorum unus Romæ ſervatur in templo S. Crucis in Hieruſalem, alter Pariſiis vitrea theca incluſus. Nihilominus, ne quid diſſimulem ſuper ea re, in alia omnia viri doctiſſimi abierunt, ut videre eſt apud Seldenum (3). Sed ſatis hæc de Iudæorum numis Græce inſculptis, quibus ſane ita abundamus, ut celeberrimus Ioannes Harduinus peculiarem librum eorum confecerit, quem de

(1) *Villalpandus lib.II.de Pond.Diſp.4.C.30.p.402.T.III.*
(2) *Anton. Auguſtin. Dial.II. de Numiſm.p.22. ed. Rom.*
(3) *Selden. de Iur.N.L.II.p.242., & 243. ed.Lond. T.I.*

de numis Herodiadum inſcripſit. Hunc conſule, ſi tanti rem putas eſſe (*).

(*) Objiciet fortaſſe quiſpiam, circa idem tempus, I. Simonem Machabæum concedente Antiocho Rege Syriæ (1) numos ſuos lingua, ac literis Samaritanorum inſcripſiſse, qualis eſt ſequens (2).



II. Numiſma cenſus quod Chriſto poſtulanti Phariſæi, & Herodiani obtulerunt (3) Latinis literis fuiſse inſcriptum, quale heic viſitur (4).



Sed neuter horum numorum nobis quidquam obeſt

(1) *Lib. I. Machabæorum Cap. XV. v. 6.*
(2) *V. Conringium de N. Hebr. Parad. p. 56.*
Hadrianum Relandum de Nummis Samaritanorum.
(3) *Math. Evang. Cap. XXII. v. 17. ad 19.*
(4) *V. Selden. de I.N. & G. Lib.II. Cap.VIII. p. 239.*

obeſt. Non prior: nam Ioannes Chriſtophorus Wagenſeilius (1), Carolus Patinus, & Ottho Sperlingius (2) at qui viri! quamque rei nummariæ periti! eius νοθείαν manifeſto ſibi tenere viſi ſunt: quibus meum hoc qualecunque ſuffragium adjungere equidem non dubito. Nam quod attinet ad locum prioris Machabaici: *Permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis:* inde nihil conficies niſi, contuliſſe quidem Antiochum Simoni jus propriæ monetæ percutiendæ. At quod ille hujuſmodi jure uſus ſit, ullumque numiſma cuderit: id vero neque hoc loco, neque uſquam quidem dicitur, nec quiſquam hactenus probavit. Inane igitur hoc argumentum, præſertim cum contemni potuerint a Simone hæc Antiochi promiſſa, cujus imperium pene nullum in Iudæos erat, aut amicitiæ fides.

Hæc ad Scripturæ locum. Quod ad numos attinet, animadvertendum eſt, illos Simonis nomen nuſquam præſeferre, in quibus duntaxat legere eſt hæc, *Sekel Iſchrael*, *Ieruſchalaim Hakkedoſcha*, *Siclus Iſrael*, *Ieruſalem ſancta*, & his affinia. Præterea eorum νοθείαν ſatis manifeſtam tenemus: nam inſcriptionibus Samariticis ſunt inſigniti: hoc eſt ſermonibus, & literis, quæ nuſquam tunc quidem apud Iudæos obtinebant; cujus difficultatis quantum ſit pondus iidem ipſi ſentiunt, qui numos hos nobis tanquam genuinos venditant. Dum quemadmodum ſeſe inde expediant neſciunt (3). Nam quamvis dicant eoſdem in Samariticis civitatibus Simonem cudi juſſiſſe; hæc reſponſio nihil

(1) *Wagenſeil. Annot. ad Lib. Miſchnæ Sota p.575.*

(2) *Sperlingius de Nummis non cuſis Cap. XVI.*

(3) *Vide Morinum Exercit. 2. in Pentat. Samar. 1. X. Biblioteq. Critiq. Lib. 2. C. XXVII. p. 404. 405.*

hili eſt. An enim credibile eſt, Simonem Machabæum ad Hebraicæ libertatis memoriam prodendam, tamque præclaræ rei famam, Samaritanorum operam adhibuiſſe, gentis ſcilicet flagitioſæ, abominandæ, diriſque omnibus ab Iudæis devovendæ? Num vero ſeligeret linguam, & characteres incognitos? & ab recepta omnium populorum conſuetudine deflexiſſet, qui numos non alio inſcribere ſermone ſoliti erant, quam ſuo, & vernaculo? Samaritani contra non eo animo in Hieroſolymitanos erant, ut illorum civitatem ſanctam putarent, aut Hieroſolymam adſcenderent; qui ſacra ſua in montibus Samariæ peragebant. Neque magis rem juvat Auguſtinus Calmet (1), Petrus Allix (2), & Pater Souciet (3), qui contendunt fuiſſe tunc apud Iudæos duplicem characterum formam; hoc eſt ſacrorum, & profanorum. Quorum, priorem Iudæi a Chaldæis, poſteriorem ab Samaritanis mutuati eſſent; hac autem altera Simonem numos cudiſſe. At quo teſte rem conficiunt? nullo. Quibus ſcripturis, quo priſco ſcriptore nituntur? adhuc nullo. Valeant igitur tam belli homines, ſecumque ſuos Samariticos numos ferant, ac ſi quem veteramentarium Iudæum repererint, illi vendant, non nobis; qui pulchre novimus, quantopere impoſtorum ingenium in id genus monumentis ſibi indulſerit. Certe Sperlingius Holſatiæ officinam ſe vidiſſe narrat, ubi hujuſmodi cudebantur ſicli. Patinus vir alioqui in veterum monetis perſcrutandis diligentiſſime verſatus, in tot, quæ inſpexit numiſmatum

(1) *Calmet Diſſert. ſur le Medail. Hebraiq. p. LXV.*
(2) *Allix apud Spanhem. de P. Num. pag.72. Diſſ.* 11.
(3) *Souciet Diſſ. ſur les Medail. Hebraiques p.*41.

Eadem quoque lingua inſcripta ſunt finitimarum civitatum numiſmata, itemque Galilæorum, Samaritanorum &c. . Etenim Tiberiadis quæ nobiliſſima Galilæorum urbs, ac metropolis ad lacum Genneſariticum ſita, numi exſtant plures Græce omnes inſcripti in hunc modum ΚΛΑΥΔΙΟ ΤΙΒΕΡΙΩΝ ΕΤ. ΑΠ. : hujus æra ducitur ab anno urbis conditæ DCCLXX, de quo Noriſius (1), Vaillantius (2) & alii. Sephoris urbis item primariæ, & munitiſſimæ Galilæorum, numi hac Græca inſcriptione inſigniuntur ΣΕΠΦΩΡΗΝΩΝ, de quibus

---

ſmatum cimeliis, ne unum quidem ſe genuinum ſiclum inveniſſe fatetur. Quare dicamus licet, Simonem Machabæum cudendæ monetæ beneficio, quo eum Antiochus affecerat, aut uſum non omnino fuiſſe, aut certe Samariticos ſiclos, qui illi adſcribuntur, eſſe ὑποβολιμαίυς.

Nunc quod attinet ad numiſma cenſus Latine inſcriptum; demus ſane, idem illud eſſe, quod Chriſto obtulerunt Phariſæi, ut venditant Freherus, & Fiſcher (3) &c. At quid inde? certe Freherus ipſe, aliique docent, vectigal quod Romanis pendebant Iudæi non Judaicis (de quibus hic ſermo) ſed Romanis nummis pendi debuiſſe. Quare nihil hoc etiam πρὸς την' λύραν.

(1) *Noriſ. de Epoch. Syro. Maced. Diſ. V. T. 11. p. 582. ſeq.*
(2) *Vaillant de Num. Imp. a pop. Græc. loq. p. 30.*
(3) *Freherus, & Fiſcher de Numiſmate Cenſus.*

bus vide Vaillantium (1), & Patinum (2). Non alius Samariæ civitatibus mos fuit. Et primo ipſiuſmet Samariæ, quam Herodes Auguſto blanditus Græco nomine appellavit Σεβάςην, plurimi numerantur Græci numi, inter quos Noriſius typum exhibet in eximio opere de epochis Syro-Macedonum (3) cujuſdam inſcripti CEBACTHNΩN. L. ΘP, *Sebaſtenorum anno* CVI, & alterius CEBACTHNΩN CTP. CIE., *Sebaſtenorum Syriæ anno* CCXV, vide & Patinum (4). Sichem Samariæ urbis, quæ Neapolis conſequutis temporibus dicta eſt, numos Græce inſcriptos reperias hoc modo ΦΛΑΟΤΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ ΣΑΜΑΡΕΙΑΙΣ. L. AI. Horum nonnulla videbis, ſi voles, apud Spanhemium (5) alioſque. Ac ne longum faciam, id ipſum factitatum eſt ab Cæſarea, Paneade, Raphia, Gaza, Gadara, Livia, Ramatha, Azoto, Aſcalone, aliiſque civitatibus, quæ Iudææ adjacebant. Ceterum quod ad Iudaicos numos attinet, hos, præterquam quod Græce inſcripti ſunt, ut modo oſtendimus, Græcis etiam nominibus vulgo donabant Iudæi: puta, Δραχμῆς, Διδράχμυς, Στα-

(1) *Vaillant de N.Impp. a pop. Græc. loq. p.24. & 30.*
(2) *Patinus in Num. Imp. Roman. p. 183.*
(3) *Noriſ. de Ep. Syro.maced. Diſſer. V. p.559. & ſeq.*
(4) *Patinus ibidem pagina 265.*
(5) *Spanhem. de V. & P. Numiſ. Vaillant l.c. p.279.*

Στατῆρος, Δηναρίȣ; quorum paſſim meminerunt novi Teſtamenti ſcriptores. Idque conſtat tum quod numos Græce inſcriptos Hebraicis nominibus nuncupari non decebat: tum quod in tabulis antiqui Teſtamenti voces hæ nuſquam occurrunt ſed tantum in novo. At *Stateris* vox, inquies, occurrit in veteri aliquando; itemque *Drachmæ*, quæ ter legitur in Nehemia (1). Eſt ita, ſi editioni Latinæ auſcultemus, non item ſi Hebræam, & Chaldæam conſulas. Nam quo loco Latina habet *Stateres* in Hebræo legitur שקלים *Seckalim*: *Drachma* autem, quod illa profert, Chaldaice eſt דרכמין. Cum igitur ſatis in aperto ſit, longe ante Chriſti epocham Iudaicos numos Græce inſcriptos fuiſſe, ac Græcis etiam nominibus nuncupatos: conſequens eſt, ut Græce etiam Iudæos tunc locutos eſſe confiteamur.

Iudæi Græcis inſcriptionibus utebantur.

III. Tertio loco inſcriptionum fidem teſtor, quæ in hac re æque magni momenti ſunt apud criticos. Prima igitur harum ſit, quæ in templi lorica, ſive in atrio exteriori, poſita erat. Nam cum morte propoſita cautum eſſet, ne quis ex Iudæis pollutis (hoc eſt qui ſeminis profuſione laborarent, item menſtruali mulieri, quique cum ea conſueviſſent) tum ex alienigenis, interius templi ſeptum penetraret, ut meminit Maimonides

(1) *Nehem. Cap. VII. v. 70. ad 72.*

nides (1): poſt refectum templum in atrio exteriori duplicem inſcriptionem poſitam fuiſſe docet Ioſephus: altera autem earum Græce loquebatur, ut idem narrat his verbis; Ἐν αὐτῷ δ᾽ εἱστήκεσαν ἐξ ἴσου διαστήματος στῆλαι, τὸν τῆς ἁγνείας προσημαίνουσαι νόμον αἱ μὲν Ἑλληνικοῖς; αἱ δὲ Ῥωμαϊκοῖς γράμμασι, μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι. *In lorica ex cancellis ſaxeis facto æquis diſpoſitæ intervallis columnæ ſtabant legem caſtimoniæ præmonentes Græcis; aliæ Latinis literis in locum ſanctum tranſire alienigenas non debere* (2). Sic etiam in Antiquitatibus; Εἰς τοῦτο τοῦ λαοῦ πάντες, οἱ διαφέροντες ἁγνείᾳ καὶ παρατηρήσει τῶν νομίμων, εἰσῄεσαν; *In hoc fanum cuilibet e populo, modo non polluto & præſcriptorum legis obſervanti, intrare licebat* (3). Præterea Titus Imperator ſuper eadem lege ſic Iudæos alloquitur apud eumdem; Ἆρ᾽ οὐκ ὑμεῖς, ὦ μιαρώτατοι, τὸν δρύφακτον τοῦτον προὐβάλεσθε τῶν ἁγίων; οὐχ ὑμεῖς δε τὰς ἐν αὐτῷ στήλας διεστήσατε, γράμμασιν Ἑλληνικοῖς, καὶ ἡμετέροις κεχαραγμένας, κᾂν Ῥωμαῖός τις ᾖ; τί οὖν νῦν, ἀλιτήριοι, καὶ νεκροὺς ἐν αὐτῷ καταπατεῖτε; *Nonne vos, o ſceleratiſſimi, hunc cancellum locis ſanctis objeciſtis? Nonne vos columnas ad certa intervalla in eo ſtatuiſtis, literis Græcis, ac noſtris in-*

(1) *Maimonides de Domo electa Cap. VII. ſect.* 13.
(2) *Ioſ. de Bel. Lib. V. Cap. V.* §. 2. *p.* 331. 332.
(3) *Id. in Antiq. Cap. III. Lib. VIII.* §. 9. *p.* 427.

inſcriptas. Nonne eos qui tranſiiſſent, quamvis Romanus quis eſſet, vobis necare permiſimus? (1) Nunc ſi tanti momenti lex Græca lingua Iudaico populo ad legendum propoſita erat, quis non videt linguam hanc eidem vernaculam eſſe oportuiſſe? Nemo certe niſi, qui oculos ſibi in meridiana luce claudat. Hoc cum non intelligeret Bernardus Lamy (2) cum nonnullis aliis deſudat in cauſſis inveſtigandis, cur taceat Ioſeph, an ibi ulla fuerit ſcriptura Hebraica, cum Hebræi præcipue erant admonendi, ne ultra vetitum ſibi limitem perrumperent. Nugæ: nihil enim Hebraica lingua opus erat, cum Hebræi Græce tunc vulgo loquerentur.

Altera Græca inſcriptio in Chriſti Domini cruce propoſita fuit, ut teſtatur Lucas his verbis; *Erat autem & ſuperſcriptio ſuper eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis* (3). Atqui in hac ſermonum triga neceſſario debuit eſſe unus, qui Iudæis tunc foret vernaculus; ut ab iis maxime, quibus inſtantibus occidebatur Chriſtus, damnationis cauſſa, & titulus legeretur. Et vero, ut diſcimus ex Ioanne: *Hunc titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope civitatem locus erat, ubi crucifixus eſt Ieſus* (4). Iam

(1) *Ioſeph de Bello Lib. VI. Cap. II. §. 4. p.* 376.
(2) *Lamy de Templo Lib. V. Sect. II. p.* 813.
(3) *Lucas Evang. Cap. XXIII. v.* 38.
(4) *Ioan. Evang. Cap. XIX. v.* 19.

Iam vero Hebraicus ſermo minime tunc in uſu erat, quippe qui iam inde ab Babylonicæ ſervitutis temporibus deſitus erat uſurpari; neque eum amplius Iudæi intelligebant, ut ipſi fatentur adverſarii, & infra patebit. Multo minus Latina lingua, qua nuſquam Iudæi uſi ſunt, ut omnibus in confeſſo eſt, itemque clarius infra oſtendemus. Reliquum eſt igitur ut Græca tantum Hieroſolymitanis fuerit vernacula. Cuiuſmodi ſane illationem neque concinnius, neque clarius firmare potuit Rabbinorum præſtantiſſimus R. Iochanan, qui de linguis his verba faciens, hæc habet; *Tres ſunt linguæ: Latina bello inſerviens, ſermoni Græca, precibus Hebraica* (1). Fuit ergo adhibita Hebraica lingua, tanquam ſermo ſacer, quo in precibus, votiſque concipiendis utebantur; Latina utpote dominantium Romanorum, ac proinde tunc belli lingua; Græca denique ob ſermonem vulgarem loci, in quo de Chriſto ſupplicium ſumebatur, quoque vulgo loquebantur Hieroſolymitani. Atque ea cauſſa eſt, cur apud Lucam (qui eodem ordine diſpoſuit titulos, quo ſcripti fuerant, ut oſtendit Caſaubonus (2)) Græca inſcriptio principem locum obtineat.

Neque id ſolum in Iudæa verum etiam

G in

(1) *R. Iochanan in Midr.Tillim fol. 25. c. 4.*
(2) *Caſaubon. Exerc.XVI. ad Baron. An.34. 119. p.563.*

in finitimis locis in more fuit, ut oſtendunt edicta illa Romanorum quæ a Ioſepho recitantur (1). Etenim Caii Cæſaris edictum de Hyrcano, eiuſque poſteris in Iudaico ſolio retinendo, in tabulis æreis Latine, atque Græce ſculptum legebatur in Aſcalone, Sidone, Tyro, in templis, item Hieroſolymitano, & alibi, ex eiuſdem Cæſaris imperio: *Æreamque tabulam iſta continentem dedicandam, & in capitolio, & Sidone, & Tyro, & Aſcalone, & in templis inſcriptam Romanis, Græciſque literis*. His addi poſſunt & alia Romanorum reſcripta pro Iudæis, quæ omnia exhibet Ioſephus loco citato, atque hæc pariter Græce, & Latine in tabulis perſcripta tum in templo Hieroſolymitano, tum in aliis Iudææ, Palæſtinæque locis publice ad legendum expoſita fuerunt, ex eorumdem juſſu. Ex quo vides Romanos Latinam propoſuiſſe utpote ſuam, Græcam vero ob loca, in quibus edicta exponebantur, atque ubi lingua hæc vernacula erat, ut ſic ab incolis legi, cognoſcique poſſent.

Ac demum ſilentio prætereundum non eſt, Iudæos, qui a Iudæa Romam migrarunt, Græce ſepulchra ſua inſcribere ſolitos fuiſſe. Pompeius enim ſubacta Iudæa innumeros Romam Iudæos in ſervitutem duxit: eiſque poſtea libertate donatis a Cæſare, Octa-

(1) *Ioſeph. Lib.XIV. Antiq. Cap.X.pag.703., & ſeq.*

Octaviano, & Tiberio, ut vitam ex patriis legibus agerent ultro permiſſum eſt. Illic itaque, & ſynagogas, & ſuum habebant cœmeterium. Quare innumeræ repertæ ſunt ibi antiquorum Iudæorum inſcriptiones, nonniſi quam Græce exaratæ. Earum porro binas peculiares, ſed erroribus fœdas reperi apud Bayerum (1) quas hic ſubnectam, & Latine vertam ſecundum ipſius emendationes.

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΕ ΖωCΙΜΟC
ΔΙΑ ΒΙΟΥ CΥΝΑΓωΓΗC
ΑΓΡΙΠΠΗCΙωΝ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΚΟΙΜΗ
CΙC ΑΥΤΟΥ ... ΕΚΙΘΕ ΔΕ
ΚΕΙΤΕ ΕΥΛΛΙC ΑΡΡωΝ ΕΤωΝ Ε ...

Hic quieſcit Zoſimus per totam vitam Synagogus Agrippinenſium in pace dormitio ipſius....
Hic iacet Elias Aaron annorum....

ΕΝΘΑΔΕ	*Hic*
ΚΕΙΤΕ ΙΟΥ	*Quieſcit*
ΛΙΑΝΟC ΙΕΡΕΥC	*Iulianus Sacerdos*
ΑΡΧωΝ ΚΑΛ...	*Præſes.......*
ΑΓΡΙΠΠΗCΙωΝ ΥΙΟC	*Agrippinenſium filius*
ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ	*Iuliani*
ΑΡΧΙCΥΝΑΓωΓΟΥ	*Archiſynagogi.*

Boſius vero, qui cœmeterium illud Romæ primus detexit anno Chriſti MDCII trans Tyberim (2); invenit ibi in ſepulcris Moſaici can-

(1) *Vide Bayerum in Lucubrationibus pag.20. Sponius in Miſcell. Num.* 118, & 119 *pag.* 371.
(2) *V. Boſium in* Roma ſotterran. *lib. II c.* 22 *p.*142. *Aringum in Ro. ſubterr. noviſſ.* §. 1 *l. II c.*23.

candelabri ſeptem lucernis diſtincti figuram expreſſam, fragmenta innumera laterum, quibus olim calce oblitis ſepulcra claudebantur: in quibus quidem lateribus inſcriptiones omnes, quæ legebantur, Græci peculii erant: idque fere earum erat initium; ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ. In altero ipſius cœmeterii monumento legebatur nomen ΑCΑΠΡΙΚΙΙ. Ac in alio vox CΥΝΑΓΩΓ... His ergo enarratis, operoſe diſquirit Boſius, cur Iudæi, quos Hebraice locutos cenſet, Græce potius, quam Hebraice ſuos loculos inſcripſerint. Quem nodum alterutra hac ratione ſolvere ſe poſſe arbitratur. Scilicet aut id Iudæos feciſſe ob communem Græcæ linguæ uſum, qui tum vel maxime vigebat Romæ; aut epitaphia iſthæc excitata fuiſſe a Iudæis Græcienſibus, puta qui Corintho, Theſſalonica, vel ex aliis Græciæ locis Romam commigrarunt. Sed neutra quidem facit ad rem. Non prior, quæ ſi utique valeret, Latina potius, quam Græca lingua uti debuiſſent Iudæi. Quæ enim communior, ac receptior in urbe poterat eſſe lingua, quam Latina? Præterquam quod Iudæi cum nullam cum ethnicis rem voluerint ſibi eſſe; non eſt cur monumenta ſua receptiori eos ſermone inſcripſiſſe, omnibus notiſſimo, quiſquam dicat. Neque magis Boſio prodeſt altera conjectura. Non enim conſtat Iudæos Græcienſes Romam veniſſe,

ut

ut commigraſſe eo certo ſcimus Palæſtinos Hebræos (eos nempe, qui in Iudæa orti ſunt) ſub Pompeio , ac maxime poſt ſanctæ urbis excidium . Ac ſi nonnulli eorum illuc pervenerunt , hi profecto Iudæis Palæſtinis longe fuerunt numero pauciores. Contra non negat Boſius unum Romæ habuiſſe Iudæos cœmeterium ; idque utrique genti commune. Age ſi verum eſſet, quod ipſe credit , Palæſtinos Iudæos Hebraice locutos , jam quæ ille epitaphia detexit partim Græce loqui , partim vero Hebraice debuiſſent; ita ut unuſquiſque illorum ſuo , in illis perſcribendis, ſermone uſus fuerit . Atque Hebraica quidem tanto Græca excedere numero debuerant, quanto Palæſtinis Iudæis Græcienſes pauciores erant . Quod falſum tamen eſt : nam omnia uno Græco idiomate ſculpta reperit Boſius . Ergo etſi Boſio liberaliores plus æquo eſſe volumus, tamen verum adhuc eſt Palæſtinos æque, ac Græcienſes Iudæos Græca epitaphia adhibuiſſe. Quod cum Boſio nihil , nobis ſane plurimum favet.

IV. Probatur quarto a nominibus propriis hominum . Hoc porro argumentum vulgo uſurpant Patres, inter quos eminet Auguſtinus, Origenes, Hieronymus, Theodoretus, Aben Ezra , quem ſequitur ſanior Rabbinorum pars , atque eruditi , & præſertim Sa-

Iudæi Græca nomina ſibi, ac filiis imponebant.

Stephanus Morinus, Samuel Bochartus, Waltonus, aliique ad primævam mundi linguam inveniendam (1). Eodem ferme, & ipſe utar ad Iudæorum *τὸν ἑλληνισμὸν* demonſtrandum; cum vix dici poſſit quantopere in recte nominibus cudendis, imponendiſque ſtuduerint Iudæi, ut videre eſt apud Euſebium, qui in Præparatione Evangelica *Περὶ τῆς παρ' Ἑβραίοις τῶν ὀνομάτων ὀρθότητος*, *De recta nominum apud Hebræos impoſitione* (2) fuſe diſſerit. Hebræi igitur vel ante Machabæos ipſos Græca nomina ſibi aſciſcebant. Nomina enim tunc uſu recepta erant *Philippus*, *Alexander*, *Lyſimachus*, *Antipater*, *Antigonus*, *Alphæus*, *Andreas*, *Eupolemus*, *Numenius*, *Doſitheus*, *Ariſtobulus*, *&c.*, quorum mentio paſſim in Machabæis, in novi Teſtamenti, & Ioſephi libris occurrit: eademque Græca omnino ſunt. Nam præcipue *Philippi*, *Alexandri*, *Lyſimachi*, *Antigoni*, *Antipatris* nomina fuiſſe vulgo a Græcis uſitata, atque ab iis plane deſumta, nullus eſt qui ignorat; præſertim cum paſſim celebrentur apud Euripidem, Demoſthenem, Plutarchum, & maxime apud Suidam. Sic mere Græca ſunt Eupolemus, qui *bonus miles* ſonat; Doſitheus *a Deo datus*; Numenius *novus menſis*; Ariſtobulus, *bonum conſilium*. Itemque Andreas, qui redditur

for-

(1) *V. Waltonum Proleg. III. n. 4. p. 15. & ſeq.*
(2) *Euſeb. in Præp. Evang. Lib. XI. Cap. VI. p. 514. ed. Pariſ.*

fortis; Nicodemus, *victoria populi*; Stephanus, quod eſt *corona*; Cleophas, *omnis gloria*; Druſilla, *rore madefacta*. Similiter quoque Philo, Epænetus, Malichus, Soſipater Timotheus, Archelaus; verum, ut Horatii verbis utar, cetera de genere hoc, adeo ſunt multa, ut

.... *loquacem*
Delaſſare valent Fabium.

Hæc de Iudæis, qui ab teneris unguiculis Græcis nominibus gaudebant. Contra cum aliquibus non Græcum nomen impoſitum fuerit, ſed Hebraicum, aut Chaldæum: hi ubi adoleviſſent, illud vel in Græcum convertiſſe, vel novum ſibi Græcum nomen adſciviſſe ſcimus. Ad prius genus pertinent Onias Pontifex, qui rejecto Hebraico nomine, Græce Menelaus vocari maluit; ſic Salome Alexandram ſe transnominavit, Cephas Petrum, Levi Matthæum, Tabitha Dorcam. Ad ſecundum ordinem ſpectant Pontifex Ieſus ante Machabæos clarus, qui Hebraicum nomen *Ieſus* Græcum fecit Iaſon; & qui prius vocabatur *Iacim*, Græce Alcimus dici voluit. Sic *Simeon* poſtea Simon. *Saul* poſtea Paulus. *Mathathias* tum Matthias. Et ſic de innumeris aliis, quorum parco plura congerere. Nunc qui fieri poterat, ut Iudæi Græca nomina uſurparent, & nihilominus Chaldaice loquerentur?

Iudæi Græcum alphabetum pueros docebant in ſcholis.

V. His præterea accedat, & aliud argumentum, quod mihi ſufficit libellus de *Infantia Domini* inſcriptus, ſive Thomæ Protoevangelium, qui liber a doctiſſimo Ioanne Aloyſio Mingarelli in Bononienſi Archigymnaſio Græcæ linguæ Profeſſore nuper eſt editus (*). Ac licet libellus hic fabulis, & com-

(*) Thomæ Pſeudoevangelii fragmentum in regia Pariſienſi Bibliotheca a ſe repertum primus edidit Ioannes Baptiſta Cotelerius (1), quod poſtea Lambecius in m.s. codice Vindobonenſis Cæſareæ Bibliothecæ quum inveniſſet, lectionum varietatem adnotando recenſuit (2). Inde ac illuſtratum notis Ioannes Albertus Fabricius in codicem apocryphum N. T. retulit (3). Ac tandem nuper integrum edidit laudatus Ioannes Aloyſius Mingarelli Can.Reg. S. Salvatoris, quale exſtat in chartaceo codice m.s. ſeculi xv. Bibliothecæ S. Salvatoris Bononiæ. Hoc tamen Mingarellianum exemplar etſi unum, idemque, atque illud cuius fragmentum Cotelerius edidit, videri poteſt, non parum tamen ab illo abludit, ut utrumque conferenti patebit. At cum in Mingarellii codice Zacchæus Iudimagiſter Græcas literas Ieſum docet, ut Irenæus legit, non vero Hebraicas, ut in Coteleriano fragmento legitur, & infra dicemus, ad primi potius codicem, quam ſecundi fragmentum reſpexiſſe Irenæus videtur. Ceterum legi eam in rem meretur erudítiſſima epiſtola Mingarelli ad Patrem Ricchinium in calce eius Pſeudoevangelii.

(1) *Cotelerius in Not. ad Conſt. Apoſt. Lib. VI. C.16.*
(2) *Lambecius Lib.VII. Comment. pag.* 270, *& ſeq.*
(3) *Fabricius Cod. apo. n. T. p.*159. *ſecunda edit.*

commentitiis Servatoris noſtri prodigiis refertus ſit; quid tamen vetat, quominus ex fabuloſo etiam libello veritatem tanquam antidotum ex veneno exprimam, præſertim cum, ut eſt in proverbio, *non fingant omnia Cretes*. Eoque id magis, quod opus illud ab antiquiſſimis temporibus puta a Marcoſiis, ſive Gnoſticis Hæreticis ſecundi ſeculi confictum eſt. Eius enim meminere non modo Cyrillus Hieroſolymitanus (1), Gelaſius (2), ſeptima Synodus œcumenica (3), aliique ſane plures, verum etiam Irenæus (4) qui eodem ſeculo vixit; atque huic ferme æqualis Origenes (5). Capite igitur VI. inducitur Zacchæus ludimagiſter puerum Ieſum Græcas literas docens. Καὶ εἶπεν αὐτῷ πάντα τὰ γράμματα, ἀπὸ τοῦ ᾱ ἕως τοῦ ω̃, μετὰ πολλῆς ἐξετάσεως ξαυῶς. ἐμβλέψας δε τῷ καθηγητῇ Ζακχαίῳ λέγει αὐτῷ. σὺ τὸ ἄλφα μὴ εἰδὼς καταφόσιν, τὸ βῆτα πῶς ἄλλυς διδάσκεις; ὑποκριτὰ, πρῶτον εἰ οἶδας, δίδαξον τὸ ᾱ. καὶ τότε σοι πιςεύσωμεν περὶ τοῦ β̄; *Et* (Zacchæus) *dixit ei* (ideſt Ieſu) *omnes literas ab alpha ad omega, dilucide ſingulas expendens, atque accurate. Intuens autem magiſtrum Zacchæum dicit ei* Ieſus: *tu quum*

(1) *Cyrillus Hieroſol. Catecheſi* 4. & 6.
(2) *Gelaſius in Decreto de libris apocryphis.*
(3) *Synodus Actio* 2. *Par.* 5. *Tom.* 7. *edit. Labbæi.*
(5) *Irenæus adverſus Hæreſes lib.* 1. *cap.* 20.
(6) *Origenes Homilia* 1. *in Lucam. Tom.* III. *p.* 933.

quum literæ alpha naturam ignores, quomodo alios doces literam beta? Hypocrita doce prius ſi noſti literam alpha, & tunc tibi credemus dicenti de litera beta. Ac quamvis Pariſienſis codex literas Hebraicas hic commemoret, quod etiam facit Arabicum pſeudoevangelium capite XLVIII, retinenda tamen eſt Mingarelliani codicis lectio, quippe quæ omnium, ut videtur, antiquiſſima eſt. Sic enim legit etiam Irenæus; cuius verba hic exſcribo; Ὥς τοῦ Κυρίου παιδὸς ὄντος, καὶ γράμματα μανθάνοντος, καὶ τοῦ διδασκάλου αὐτῷ φήσαντος, καθὼς ἔθος ἐστὶν, εἰπὲ ἄλφα, ἀποκρίνασθαι τὸ ἄλφα. πάλιν τε τὸ βῆτα τοῦ διδασκάλου κελεύσαντος εἰπεῖν, ἀποκρίνασθαι τὸν Κύρειον. σι μοι πρότερον εἰπὲ τί ἐστι τὸ ἄλφα, καὶ τότε σοὶ ἐρῶ τί ἐστι τὸ βῆτα. καὶ τοῦτο ἐξηγοῦνται, ὡς αὐτοῦ μόνου τὸ ἄγνωστιν ἐπισταμένου, ὃ ἐφανέρωσεν ἐν τῷ τύπῳ τοῦ ἄλφα; *Quum Dominus puerili ætate eſſet, atque elementa diſceret, ac ludimagiſter, ut mos eſt, ei dixiſſet, dic alpha, reſpondit, alpha: quumque rurſus beta dicere juſſiſſet, reſpondit Dominus: tu mihi prius dic, quid ſit alpha, tumque dicam quid ſit beta. Idque ita interpretantur, quaſi ſolus ipſe id, quod cognitionem ſuperat, norit, quod quidem in figura ipſius alpha declaravit*. Qua de re lectionem hanc utpote Irenæo conſonam retinendam eſſe omnes vident. Præterea Capite

pite XIV. Protoevangelii ſcribitur; Ἴδει γὰρ ὁ διδάσκαλος τὴν πεῖραν τοῦ παιδίου, καὶ ἐφοβήθη αὐτό. ὅπως γράψας τὸν ἀλφάβητον, ἐπετήχευεν αὐτὸ ἐπὶ πολλὴν ὥραν, καὶ οὐκ ἀπεκρίνατο αὐτῷ. εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς. εἰ ὄντως διδάσκαλος εἶ, καὶ εἰ οἶδας καλῶς τὰ γράμματα, εἰπέ μοι τοῦ ἄλφα τὴν δύναμιν. κἀγώ σοι ἐρῶ τὴν τοῦ βῆτα; *Noverat enim magiſter peritiam pueri, & timuit eum: & ſcribens alphabetum, exercuit illum ad longam horam, & non reſpondit ei. Dixit autem illi Ieſus: ſi vere magiſter es, ac ſi recte literas noſti, dic mihi vim literæ alpha, & ego tibi dicam vim literæ beta.* Ecquid loca iſta aliud indicant, niſi Græcum ſermonem in Iudæa vernaculum Chriſti ætate fuiſſe, cum Græcum alphabetum Iudæi ſuos pueros docerent in ſcholis? Apocryphus hic quidem libellus, ut modo diximus, altero poſt Chriſtum ſeculo conditus eſt, videlicet non multo poſt captam Iudæam; quo tempore ſcire omnes poterant, qua lingua uterentur Iudæi. Neque credibile omnino eſt fabulatorem, qui Evangelio ſuo fidem adiungere ſtudebat, ut qui maxime mentitum etiam fuiſſe in eo, quod omnibus hominibus compertum tunc quidem erat, puta quale fuerit idioma in Iudæa vernaculum. Quidni igitur ea lingua uterentur Iudæi, quam tum aperte hic liber ipſis vindicat?

Iudæi Græce biblia legebant.

VI. Probatur VI. a communi Græcorum bibliorum uſu. Nam olim apud Iudæos Scripturæ non legebantur, niſi Hebraice. Ac quamvis poſt Babylonicam ſervitutem ipſi Hebraice amplius non intelligerent: attamen ob ſanctæ linguæ reverentiam in cœtibus Hebræum volumen legebant, ita tamen ut adeſſet legenti interpres, qui populo ignotum ſibi ſermonem interpretaretur (1). At verò a Chriſti tempore Iudæi, Hebraico textu relicto, verſionem Græcam ſeptuaginta interpretum, ut vulgo appellant, ita receperunt, ut in ipſis ſynagogis ea publice legeretur ac vulgo in ore omnium eſſet. Credamus id ſane Iuſtino Martyri, qui fuit Samarita, claruitque ſub initio ſeculi ſecundi; idemque de hac Græca LXX. interpretum verſione agens ait; *Si quis nobis obiiciat non noſtros hos eſſe, ſed Iudæorum libros, eo quod ad hoc uſque tempus in ſynagogis eorum aſſerventur, &c.* (2). His gemina habet Tertullianus in ſuo Apologetico, ubi de hac verſione ſic loquitur; *Sed & Iudæi palam lectitant vectigalis libertas vulgo auditur ſabbatis omnibus* (3). Ubi nomine *vectigalis*, ut omnes conſentiunt, intelligit libertatem legendi, & audiendi, quam omnes tributo redemerunt. Confirmant

(1) *Maimonides Hilcoth. Tephil. Cap. XII. §. 10. Miſchna in Tract. Megill. Cap. IV.*
(2) *Iuſtinus Martyr Cohort. ad Græcos p.14. lit. C. ed. Pariſ.*
(3) *Tertullianus Apolog. Cap. XVIII. pag. 64.*

mant id ipſum Rabbini, inter quos R. Azarias ſcribens; *Confirmatam fuiſſe interpretationem Græcorum ab univerſo Iſraelitarum cœtu*. Idemque affirmat: *Thalmudicorum decreto ſancitum fuiſſe, ut lex ſolis Græcis literis exſcriberetur*, לא התירו שיכתבו ספרים בכל לשון אלא ביונית:, *Non permiſerunt ſcribere libros ulla lingua, excepta Græca*. Quæ omnia manifeſte probant Iudæos non aliam, quam Græcam linguam callere ſolitos fuiſſe. Ac ſane legimus in Thalmude Hieroſolymitano de quodam R. Levi, qui *Cæſareæ audiens Iudæos legentes lectionem* Audi Iſrael ex Deuteronomio VI. *Helleniſtice, voluit impedire ipſos; R. Ioſe id animadvertens iraſcebatur dicens, qui non poteſt legere Hebraice, num omnino non leget? imo legat quacunque lingua, quam intelligit, ac novit, & ſic officio ſuo ſatisfecerit* (1). Idemque evenit Iuſtiniani ævo, quo imperante lis mota eſt inter Iudæos de Hebraica textus lectione in ſynagogis repetenda; ſed Iuſtinianus pro Græca interpretatione ſtetit, permittens Hebræis Scripturam ſecundum traditam conſuetudinem, & vernaculam linguam Græce legere (2). Neque ſolum biblia Græce lectitabantur palam in ſynagogis; ſed & ea vulgo ſequebantur

(1) *Talmud. Hieroſolym. Sota Cap. VII. Vide Buxtorfium in Teſau. Rabbinico voce* אלינסין.

(2) *Iuſtinianus in Novella Conſtitutione CXLVI.*

tur, ex iiſque loca recitare ſoliti erant Iudæi, Chriſtus, Apoſtoli, Evangeliſtæ, quod jam multo ante obſervarunt viri doctiſſimi (1). Conſtat id potiſſimum ex novi Teſtamenti ſcriptoribus, qui in recitandis teſtimoniis veteris Teſtamenti longe ab Hebraica veritate recedunt, Græcamque dumtaxat interpetrationem ſequuntur vel *κατὰ λέξιν ad verbum*, vel *κατὰ διάνοιαν ad ſenſum*. Quod quidem non permiſiſſent Iudæi, niſi Græca lingua apud eos obtinente, coacti fuiſſent Hebraicum textum deſerere, & Græcam verſionem amplecti.

Iudæos Græce locutos Ioſephi teſtimonio probatur.

VII. Probatur id ipſum Ioſephi Flavii auctoritate, qui deſcribens Titi expeditionem in Iudæam, & loca, ubi caſtrametatus eſt, ait Titum caſtra poſuiſſe in loco vulgo dicto *Acanthon Aulona*, quod ſonat *Vallem ſpinarum*; idque nomen impoſitum ait loco illi patrio Iudæorum ſermone. En tibi Ioſephi verba; Καὶ διανύσας ἡμέρας ςαθμὸν ςρατοπεδεύεται κατὰ τὸν ὑπὸ Ἰȣδαίων πατρίως Ἀκανθῶν αὐλῶνα καλȣμενον, πρός τινι κώμῃ Γαβαθσαȣλῃ καλȣμένῃ· σημαίνει δὲ τȣ͂το λόφον Σαȣ́λȣ· διέχοντα ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων, ὅσον ἀπὸ τριάκοντα ςαδίων; *Cumque ſtatum diei iter confeciſſet, caſtra poſuit in loco, quem Iudæi patrio ſermone vocitant Acanthon Aulona, apud vicum quemdam Gabath-Saul dictum, (id autem*

(1) *Vide Lud. Capellum in Critica ſacra p. 62. & alibi.*

autem Sauli collem ſignificat) *diſtantem ab Hieroſolymis circiter ſtadia* xxx (1). Atqui nomina Ἀκανθῶν Αὐλῶνα Græca eſſe, omnes vident, qui aliquam cognitionem habent Græcæ linguæ; Αὐλών enim vallem ſignificat: Ἀκανθῶν vero *ſpinarum* eſt, ab Ἄκανθα ἡ: linguæ igitur Iudæis patria quidem, & domeſtica eſſe non debuit, niſi Græca. Neque dicas Ioſephum ea nomina, cum Græce ipſe, eleganterque ſcripſerit, ob ſcripturæ decorem Græce efferenda cenſuiſſe; quod pugnat certe cum Iudæorum, atque adeo ipſius Ioſephi conſuetudine. Iudæi enim propria ſive hominum, ſive locorum alterius linguæ nomina, etſi Græce ſcriberent nunquam immutabant, ſed qualia a ſua lingua, cuicuimodi ea eſſet, proficiſcebantur, uſurpabant. Qua de re teſtem Ioſephum ipſum appellabo, qui in Antiquitatibus ſcribit; Τὰ γὰρ ὀνόματα διὰ τὸ τῆς γραφῆς εὐπρεπὲς ἐλλωνίσαι πρὸς ἡδονὴν τῶν ἐντευξομένων. οὐ γὰρ ἐπιχώριος ἡμῖν ὁ τοιοῦτος αὐτῶν τύπος ἀλλ᾽ ἕν τε αὐτῶν σχῆμα καὶ τελευτὴ μία. Νώεος γέτοι Νῶε καλεῖται, καὶ τοῦτον τὸν τύπον ἐπὶ παντὸς τηρεῖ σχήματος; *Nomina ſiquidem propter ſcripturæ decorem Græci ad delectationem legentium mutaverunt. Noſtrates enim hujuſmodi eorum forma non utuntur: ſed idem apud nos perpetuo ſchema obtinent, unam-*

(1) *Ioſeph de Bello Lib. V. Cap. II.* §. 1. *p.* 320.

unamque terminationem : Noeus etenim Noe apud nos vocatur, & in omni ſchemate eandem formam ſervat (1). Præterquam quod non erat novum, neque inuſitatum in Iudæa nomen hoc *Aulon ;* immo uſurpabatur paſſim non modo in Iudæa, ſed in univerſa Palæſtina. Nam campus ille ampliſſimus, qui inter Libanum montem, & Antilibanum interiacebat *Aulon* dicebatur, teſte Theophraſto; Καὶ μεταξὺ τούτων ἐστὶν, ὃν αὐλῶνα καλοῦσι πεδίον πολὺ καὶ καλὸν ; *Inter quos campus ampliſſimus, & pulcherrimus eſt, quem Aulonem appellant* (2). Et vallis campeſtris, ſive campus prope Ierichuntem, & mare mortuum, cui proximus fluebat Iordanis fluvius, *Aulon* quoque appellabatur, de quo plura Ioſephus (3), & Euſebius (4), & præſertim Hieronymus in Epiſtola ad Evangelum, quem audiſis; *Campus, quem hodie Aulonem Palæſtini vocant* (5). Vides igitur huiuſmodi vocem non modo Iudæis, ſed univerſis Palæſtinis fuiſſe vernaculam. Quod ſi itaque vox *Aulon* Græca eſt, æque atque *Acanthon*, jam ex Ioſephi teſtimonio patet Græcam linguam veluti patriam Iudæos uſurpaſſe, nec eſt cur tam diſertum teſtimonium in alia omnia trahatur.

VIII.

(1) *Ioſeph Lib. I. Antiq. Cap. VI. §.1. p.21, & ſeq.*
(2) *Theophraſtus Lib. IX. C. 7. de Hiſt. Plantar.*
(3) *Ioſ Ant. L. XVI. C. V. §. 2. p. 798. de Bel. L. 1. C. 21. §. 9.*
(4) *Euſebius in Onomaſt. voce* Αὐλών, *& alibi.*
(5) *Hieronym. Ep. 73. T. I. pag. 444. ed. Vero.*

VIII. Octavum argumentum nobis præbet Iudaica regio, ejuſque regionis urbes, quæ pariter a Machabaicis temporibus ſuam (ut ita dicam) receperunt Græcitatem. Quæ quidem regio tunc temporis non in duodecim שבט *tribus*, ut initio tributa fuit (1), neque in duplex מלכות *regnum*, ut poſt Salomonis obitum (2), ſed duntaxat in *τετραρχίας tetrarchias* nomine, ac partitionis genere a Græcis deſumpto: ex quo deinde earum Princeps Græce etiam Τετράρχης dictus eſt. Oppida autem, atque urbes recens conditæ, non aliis nominibus appellatæ ſunt, quam Græcis. Nam caſtellum, quod in tribu Ephraim ædificavit Ioannes Hyrcanus, Ὑρκανίον fuit appellatum: qui item Hyrcanus caſtellum, quod templo adjacebat Græce etiam Βάριν vocavit, ideſt *Turrim*. Item caſtellum ab Alexandro Iannæo prope Iordanem conditum Ἀλεξάνδρειον nominatum eſt. Et oppidum, quod ab Herode conditum eſt, Ἡρώδιον dictum (3). Græcum etiam nomen nacta eſt urbs pulcherrima in campo, qui dicitur Capharſaba, quam Herodes ab Antipatre patre nominavit Ἀντιπατρίδαν. Condidit præterea Herodes aliud cum amœnum, tum ſatis munitum oppidum ſupra Hierichuntem, quod a matris ſuæ

Iudaica regio, eiuſque urbes Græca nomina cæperunt.

H

(1) *Ioſue Cap. XIII. Lib. III. Regum Cap. XIII.*
(2) *Ioſeph Lib. XVI. Antiq. Cap. II. §. 1. p. 786.*
(3) *Id. ibid. Lib. XVII. Cap. XI. §. 4. p. 862.*

ſuæ nomine Græce Κύπρου nuncupavit. Et prope vallem Hierichuntis ad aquilonem urbem aliam exſtruxit, quam ab nomine fratris ſui Φασαήλου appellavit; quod nomen dedit etiam turri, quam Hieroſolymis excitavit (1). Ab eodem tempore condita fuit urbs inter Antipatridam, & Sebaſten, Græco ſermone Δρῦσου dicta. Item quæ inter Hierichuntem, & Scythopolim collocatur urbs a Peutingero per Archelaum condita Græce Αʼρχελαΐδου dicta eſt (2); ut mittam alias non ſane paucas, velut Gadaram, Gazam, & Hippos, quæ ſatis diſerte a Ioſepho Ελληνίδες πόλεις, *Græcæ urbes* nominantur. Neqne ſolum recens exſtructæ urbes Græcum nomen acceperunt, ſed etiam veterum Hebræa, aut Chaldæa nomina in Græca fuerunt mutata. Quare quæ olim שכם *Sichem* dicebatur, tum Græce Νεάπολις nuncupata eſt: ſic civitas olim בית־שאן *Bethſean*, tum Græcum Σκυτόπολις nomen cœpit: ſic quæ antea חמת *Emmaus*, poſtea Νυκόπολις: quæ olim בית־הרן *Beth-aran* poſtea Λιβίας: quæ olim דן *Dan*, inde Πανεάς: & quæ antea שמריה *Samaria*, tum Græco ſermone Σεβαστὴ nuncupata eſt. Quin etiam ne ipſa quidem Ieruſalem nomen vetus ſuum retinere potuit. Nam quemadmodum

(1) *V. Ioſeph. Lib. XVI. Antiq. Cap. V. §. 2. p.798.*
(2) *Ioſeph. ib. Lib. XVII. Cap. XIII. §. 1. p.865.*

dum ante tranſmigrationem Babylonis Hebraice dicebatur ירושלים *Ieruſhalaim* , & poſt captivitatem Chaldaice ירושלם *Ieruſhelem*, Hasmonæi, ex quo tempore græciſſarunt Iudæi, Græce Ἱεροσόλυμαν *Hieroſolymam* appellarunt. Quæ cauſſa eſt, cur in veteris Teſtamenti tabulis vox *Hieroſolymorum* nuſquam occurrat; ipſe eam certe non modo in textu Hebraico, ſed ne in Græca quidem verſione LXX interpretum, neque in vulgata Latina reperire potui. Reperitur ea tamen in libris Machabaicis, & paſſim in novi Teſtamenti libris, qui eo tempore ſcripti ſunt, quo Græcus ſermo vernaculus in Iudæa erat.

Feſtis, ædificiis, dignitatibus, ordinibus, numeris, aliiſque rebus noviter inſtitutis Græcum nomen dederunt.

IX. Nunc age accedamus ad rationem, quæ mihi quidem ſemper multo validiſſima viſa eſt. Hanc quidem petimus ex nominibus, quæ novis rebus ab ævo Machabæorum impoſita ſunt; ex quo tempore novorum feſtorum, ædificiorum, dignitatum, ordinum, numorum, menſurarum &c. non alia, quam Græca nomina facta, & audita ſunt. Atque ut a diebus feſtis ordiar; ſacrum, quod Iudas Machabæus in memoriam conſecrati templi inſtituit, Græce dictum eſt ἐγκαίνια, ideſt *renovatio* (1). Per idem tempus cum Antiochus Epiphanes templi ignem exſtinxerit, quem lex perpetuum ju-

H 2 bebat

(1) *Lib.I. Mach. Cap.IV. v.56. & ſeq. Ioan.X. v.22.*

bebat eſſe (1), ſolemnis dies conſtituta eſt, qua die Iudæi ex ſilvis magnam lignorum copiam in templum comportarent, cui ξυλοφόριον, ideſt *ligniferium* nomen datum fuit (2). Præterea Apoſtoli feſtum diem inſtituerunt, quo Magorum adorationem in præſepi, Chriſti miraculum in Cana, ejuſdemque baptiſmum complexi ſunt, eumque appellarunt ἐπιφανείας *manifeſtationes*, ab ἐπιφαίνεσθαι *apparere*: majeſtas enim Chriſti apparuit & Magorum adoratione, & voce cœlitus audita, cum in Iordane baptizaretur, & ex miraculo, quod primum in Cana Galilæa factum eſt. Sic de novis ædificiis, nam vel ante Machabæos locus ab Iaſone pſeudopontifice ad luctam, ceteraſque exercitationes conſtitutus Græce γυμνάσιον nuncupatus eſt (3). Arx illa, in editiori loco Hieroſolymitanæ urbis condita, Græco nomine dicebatur ἄκρα, quod *ſummitas* ſonat. Sic Græca lingua στρατόπεδον vocabatur area regiam Herodis undecunque ambiens, ubi regii milites excubias agebant; in qua & cuſtodia fuit, in quam Petrus Agrippæ juſſu conjectus eſt (4). Circus oblongus contra meridionalem templi regionem ab Herode factus Græcorum more

re

(1) *Levit. Cap. VI. v. 12. & 13.*
(2) *Ioſephus Lib. II. de Bel. Cap. XVII. p. 194. §. 6.*
(3) *Lib. Mach. Cap. I. v. 15.*
(4) *Adrichomius in Hieruſalem Par. IV. §. 139.*
Act. Apoſtolor. Cap. XII. v. 4, & ſeq.

re ἱπποδρομος appellabatur, ab equis illic agi ſolitis (1). Præterea Herodes magnis ſumptibus duo alia ædificia exſtrui juſſit, alterum gladiatorum, & circenſium ſpectaculis, alterum mimis, ac muſicis deſtinatum, utrumque Græcis nominibus adpellavit ἀμφιθέατρον, atque θέατρον. Idem de magiſtratibus dicas: nam Tribunos, quos ad tuendum populum conſtituit Iudas Machabæus, Græce Πεντηκονταρχὰς nuncupavit, eo quod quinquaginta militibus præeſſent (2): re, & nomine a Græcis omnino deſumptis. In ſynagogis viri, & ætate, & ſapientia ſenes, quique ſynagogæ eſſent principes, Græce Ἀρχισυνάγωγοι vocati ſunt (3). In conviviis autem qui curabat, ut omnia diſpoſita eſſent, eduliaque ordine, & tempore conviviis apponerentur, Ἀρχιτρίκλινος dicebatur (4). Ab eodem tempore inſtitutæ fuerunt toparchiæ, & tetrarchiæ, quas nomine, & origine plane Græcas fuiſſe ſuperius diximus (5). Et tempore Apoſtolorum miniſtri ſeptem ab iiſdem ad alimenta viduis, atque orphanis diſtribuenda, Græco nomine Διάκονοι ſunt nuncupati (6). Apoſtoli quoque in Epiſco-

 porum,

(1) *Adrichomius ibidem §. 52. p. 154.*
(2) *Lib. I. Machabæorum Cap. III. v. 55.*
(3) *Marc. Evangelio Capite V. v. 22.*
(4) *Ioan. Evang. Cap. II. v. 9.*
(5) *Lib. I. Machabæorum Cap. XI. v. 28.*
Math. Evangelio Cap. XIV. v. 1.
(6) *Act. Apoſtolorum Capite VI.*
Epiſt. I. ad Timoth. Cap. III. verſ. 8.

porum, atque Presbyterorum gradibus appellandis non alias, quam Græcas voces adhibuerunt, uti ſunt Ἐπίσκοπος *Inſpector*, & Πρεσβύτερος *Senior*. Novum agmen ab Alexandro Iannæo primum inſtitutum, Græce dictum eſt ἑκατοντάμαχον, hoc eſt *pugnans contra centum* (1). Per idem tempus quicunque ex gentilibus Iudaicam religionem amplectebantur, vel qui inter Iudæos, domiciliis poſitis, verſabantur, Græco vocabulo dicebantur προσήλυτοι, ideſt *advenæ* (2). Sic qui Idola colerent, verumque Deum ignorarent, Græce eos ἐθνικοὺς vocabant Iudæi (3). Item qui Apoſtolorum tempore quaſi recens plantati in eccleſia erant, Græce νεόφυτοι, ideſt *novæ plantæ* dicti fuerunt. Ab eo tempore in Iudæa prodierunt voces παράκλητος *conſolator*, ἄγγελος *nuntius*, δαίμων *ſpiritus*, διάβολος *calumniator*, Ἀντίχριστος *contra Chriſtum*, ἀποστάτης *deſertor*, κλῆρος *Sacerdotum collegium*, λαϊκὸς a voce λαὸς *populus*, καθολικὸς *univerſalis*, κατηχούμενοι *qui myſteriis religionis erudiuntur*, παρανύμφη *pronuba*, βίβλια, εὐαγγέλιον; ἀποκάλυψις, & ſexcenta hujuſmodi, quas voces Græcas omnino eſſe, nemo eſt qui non videt. Idem dicas licet de monetarum, menſurarumque nomi-

(1) *Ioſeph Lib. XIII. Cap. XII. §. 5. p. 668.*
(2) *Math. XXIII. v. 15.*
(3) *Math. Cap. V. v. 47.*

nominibus, ut ſunt voces δηνάριον, δραχμή, δίδραχμον, στατήρ, διπόνδιον, quæ paſſim occurrunt in novo Teſtamento, quaſque mere Græcas fuiſſe ſupra adnotavimus. Porro, ut velut per ſaturam alia huc etiam congeram, Græca ex aſſe ſunt inſequentia ὕμνος *hymnus*, ἐπινίκιον *canticum victoriæ* (1), ἄζυμος *azimus*, ſeu *non fermentatus*, παρασκευή *præparatio*, κατήχησις *eruditio*, αἵρεσις *ſecta*, παραβολή *comparatio*, περίψημα *ſordes*, ἀνάθημα *Diis dicatum*, συναγώγη *congregatio*, στάδιον *ſtadium*, menſuræ genus; & alia, quæ tunc temporis vulgo a Iudæis uſurpabantur.

Neque in nominandis modo novis rebus, ſed etiam in antiquis vocibus immutandis Græcizaſſe tunc eos animadvertimus. Nam feſtum tabernaculorum quod prius Hebraice dicebatur חג־הסכות *chag-haſſuchoth*, *feſtum tabernaculorum*, poſtea Græce σκηνοπηγία vocatum eſt. Sic ſolemnitas hebdomadarum antea חג־שבעות *chag-ſchiavot*, inde πεντηκοστή nempe dies quinquageſimus eſt appellata. Hieroſolymitana piſcina olim Hebraice בית צדה *beth-tſada*, inde προβατική. Membranulæ quibus ſervabantur verba legis prius תפילין *tephilin*, poſtea Græce φυλακτήριον *conſervatorium*. Tribunalis locus olim Chaldaice גבבתא *gabbatha*, poſtea Græce λιθόστρωτος.

(1) *Lib. II. Mac. Cap. VIII. v. 33.*

Menſura בת *bath* olim, inde Græco ſermone μετρητὴς. Verum, ut me verbo expediam, ab eorumdem Machabæorum ævo verſæ ſunt Hebraicæ voces בראשית *bereſith* in γενέσιν *generatio*, ואלה־שמות *velle-ſemoth* in ἔξοδον, ויקרא *vaikra* in λευιτικὸν, אלה־הדברים *elle-baddebarim* in δευτερονόμιον, quod eſt *ſecunda lex*, תורה *thora* in πεντατεῦχον & aliæ.

Anacephalæoſis. X. Nunc, ut rem in pauca conferamus, hoc pacto colligemus. Cum ſat ſuperque appareat Iudæos a Machabaico ævo linguam Helleniſticam adhibuiſſe I. in libris conſcribendis; II. in numiſmatum inſcriptionibus; III. in inſcriptionibus, edictis, publice ad legendum propoſitis; IV. in nominibus ſibi imponendis; V. in privatis ſcholis, ubi Græcas literas pueri eorum docebantur; VI. in publica ſacri codis lectione; VII. ex Ioſephi Hebræi teſtimonio, quo evincitur Iudæos Græca lingua locutos; VIII. Græcum idioma ſervaſſe in regionibus partiendis, noviſque urbibus nuncupandis; IX. in novis feſtis, magiſtratibus, ordinibus, numis, menſuris, ædificiis appellandis, ac pluribus aliis in rebus, quis inde niſi plane ἄλογος non colligit, ab eodem item tempore Helleniſmum in Iudæa vernaculum fuiſſe? Aut quis ſibi perſuadeat, Iudæos tunc Chaldaice locutos? Non hercle putem futurum unquam,

ut

ut tot argumenta nanciſcantur poſteri, ſi Italos nunc Italice locutos probare voluerint. Nobis enim neque numi, neque inſcriptiones, neque ſacri codices Italice inſcribuntur, aut leguntur; neque libros quoſcunque conſcribimus, Italice omnes conſcribimus; quod contra tunc Iudæos feciſſe vidimus. Idemque dicas de Anglis, Batavis, Gallis, Germanis, Hiſpanis &c. Ex quibus certe perſpicuum eſt, Iudæos tunc nulla alia uſos lingua, quam Helleniſtica: quare Helleniſtice inter ſe loquebantur, Helleniſtice cum exteris, Helleniſtice ad Deum preces fundebant, neque aliter porro quam Græce, ſeu Helleniſtice ſciebant.

C A P V T II.

Oſtenditur, Chriſtum, & Apoſtolos Helleniſtica lingua locutos fuiſſe.

QVæ hactenus diſſeruimus ſatis, ſuperque conficere videntur, Chriſtum, ejus Matrem, & Apoſtolos, utpote qui Iudæam incolebant, Helleniſtice locutos eſſe. Nihilominus propoſitum de *Chriſto Helleniſta* argumentum etiam directe, ut ajunt, tangere, atque propius ejus rei rationes deliba-

re

re juvat; quod hoc capite præſtabimus.

Ieſus Græ. cum cognomen aſſumpſit. I. Primum itaque argumentum a cognomine, quod ſibimet adſcivit Dominus noſter, petimus. Is enim Hebraico nomini Ieſu Græcum cognomen Χριστός *Chriſtus* ſibi adjunxit, quod ſonat *Unctum*, ſicuti Chryſoſtomus (1) cum Theophilacto (2), Œcumenio (3), & Cyrillo Hieroſolymitano (4) docuit; *Chriſtus dicitur, quod ſit unctus; quod & carnis erat. Et quo tandem oleo unctus eſt? Oleo certe minime eſt unctus, ſed Spiritu.* Id vero evenit, quando in Iordane baptizatus eſt a Ioanne, ut idem monet Chryſoſtomus, Chriſtum tunc fuiſſe unctum, *quando velut in ſpecie columbæ Spiritus ſuper eum venit* (5). Et tunc quidem cognomen illud accepit, *Chriſtus*. Qua in re illud eſt animadverſione dignum, vocem Χριστὸς id ipſum Græce ſonare, quod Hebraice משיח *Meſſias* ſignificat, vox certe Prophetis, Iudæiſque omnibus auditu jucundiſſima, qua cuncta prolata ſunt vaticinia. Quod ſi Ieſus Græcum Χριστὸς, non vero Hebraicum משיח *Meſſias* nomen retinere voluit; conſequens eſt Græcam linguam vernaculam illi fuiſſe. Ex quo porro factum eſt, ut qui eum ſequerentur non ab He-

(1) *Chryſoſtomus Homil. I. in Ep. ad Roman. p. 6.*
(2) *Theophylactus Cap. I. ad Matth. p. 4.*
(3) *Œcumenius Cap. I. ad Roman. p. 245.*
(4) *Cyrillus Hieroſ. Catech. III.* Νεοφ. *p. 202.*
(5) *Chryſoſtomus in Pſal. XLV.*

Hebraico Ieſu, ſed a Græco cognomine Χριςὸς dicti ſint *Chriſtiani*.

Chriſtus diſcipulorum collegium Græce cognominavit.

II. Alterum argumentum a diſcipulorum electione ducimus. Chriſtus enim ex ſeptuaginta duobus, quos ſibi adjunxerat, duodecim in primis potiori cura inſtituendos ſuſcepit; qui porro ad evangelium promulgandum, atque ad Chriſtianam religionem propagandam per univerſum mitterentur orbem. Hos non aliter, quam Græco ſermone vocavit Α'ποςόλυς *Apoſtolos*, ideſt *Legatos*. *Vocavit diſcipulos ſuos; & elegit duodecim ex ipſis, quos Apoſtolos nominavit* (1). Quin etiam cum eccleſiæ fundamenta jaceret ſuper Simonem, Græce eum Πέτρον cognominavit (2). Ex quo ille non amplius Hebraice *Cephas*, ſed Græce *Petrus* vocatus eſt. Quæ omnia, Chriſtum Græcam linguam vernaculam habuiſſe manifeſte docent.

Chriſtus Græcis bibliis utebatur.

III. Idipſum probatur ex eo, quod ſacra biblia Græce verſa Chriſtus legebat, neque alia lingua eorum loca recitabat. Hoc plurimis firmare poſſem exemplis, ſed brevitatis gratia pauca delibabimus. Ac primo Lucas capite IV. hæc habet; *Et intravit* Ieſus *ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynagogam, & ſurrexit legere, & traditus eſt illi liber Iſaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum,*

(1) *Luc. Evang. Cap. VI. v.* 13.
(2) *Marc. Cap. III. v.* 16. *Matth.* C. *XVI. v.* 18.

brum, *invenit locum ubi ſcriptum erat* : *Spiritus Domini* &c. (1). Hunc Iſaiæ locum Chriſtus Græce legit in verſione, quam vocant LXX. interpretum . Quod ut agnoſcatur facilius, locum hunc in tres columnas partiemur ; atque in prima Hebræum eum exhibebimus ; in altera iuxta Chriſti lectionem ; in tertia ex ſeptuaginta virali interpretatione ; unde appareat Hebraicone textu, an Græca interpretatione Chriſtus uſus ſit ?

Textus Hebraicus.	Chriſti Lectio .	Verſio LXX.
רוח אדני	Πνεῦμα Κυρίου ἐπ'	Πνεῦμα Κυρίου
יהוה עלי יען	ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρι-	ἐπ' ἐμὲ, οὗ εἵνε-
משח יהוה	σέ με, εὐαγγελί-	κεν ἔχρισέν με,
אותי לבשר	σασθαι πτωχοῖς	εὐαγγελίσα-
ענוים שלחני	ἀπέσταλκέ με, ἰά-	σθαι πτωχοῖς
לחבש לנשברי	σαθαι τοὺς συν-	ἀπέσταλκέ με,
לב לקרא	τετριμμένους τὴν	ἰάσασθαι τοὺς
לשבוים דרור	καρδίαν, κηρύξαι	συντετριμμέ-
ולאסורים	αἰχμαλώτοις ἄ-	νους τῇ καρ-
פקח קוח	φεσιν, καὶ τυφλοῖς	δίᾳ , κηρύξαι
לקרא שנת	ἀνάβλεψιν (ἀπο-	αἰχμαλώτοις
רצון ליהוה:	στεῖλαι τετραυ-	ἄφεσιν, καὶ τυ-
	σμένους ἐν ἀφέσει)	φλοῖς ἀνάβλε-
	κηρύξαι ἐνιαυτὸν	ψιν , καλέσαι
	Κυρίου δεκτόν.	ἐνιαυτὸν Κυρίου
		δεκτόν.

In

(1) *Lucas Evang. Cap. IV. v.* 16, *& ſeq.*

Interpretationes.

Spiritus Domini Domini ſuper me, propterea unxit me ad evangelizandum manſuetis; miſit me ad ligandum faſcia contritos corde, ad prædicandum captivis libertatem, & vinctis apertionem carceris, ad prædicandum annum voluntatis Domino.	*Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum (dimittere confractos in remiſſionem (*)) vocare annum Domini acceptum.*	*Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, vocare annum Domini acceptum.*

Ex convenientia igitur evangelicæ lectionis cum verſione LXX, patet Chriſtum eam adhibuiſſe verſionem.

(*) *Dimittere confractos in remiſſionem*, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει. Membrum hoc abundat, quia minime reperitur in Iſaia, nedum in textu Hebræo, ſed neque in verſione LXX, nec in paraphaſi Chaldæa. Merito igitur Eraſmus, Beza, Lucas Burgenſis, Calmet, (1) aliique putant, verba hæc irrepſiſſe ex margine, ubi adſcripta erant, ad Iſaiæ locum declarandum. Eoque magis quod in codicibus Græcis mſs. minime adſunt. Nec Ambroſius, nec Euſebius hæc legiſſe videntur.

(1) *In Comment. ad Luc. Cap. IV. v. 19.*

ſionem. Hac quoque uſus eſt Chriſtus in recitandis antiqui fœderis teſtimoniis : ſic enim in deſerto diabolum Deuteronomii verbis refellit.

Textus Hebræus.	Chriſti citatio.	Verſio LXX.
לא על־ הלחם לבדו יחיה האדם כי על־כל מוצא פי יהוה יחיה האדם:	Ο'κ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ ϛόματος Θεοῦ.	Οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ ϛόματος Θεοῦ.

Interpretationes.

Non ſuper pane ſolo ipſo vivet homo, quin ſuper omni egreſſione oris Domini vivet homo.	*Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*	*Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

Et paullo poſt alium Deuteronomii locum ſic propoſuit.

Textus Hebræus.	Chriſti citatio.	Verſio LXX.
לא תנסו את יהוה אלהיכם:	Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.	Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.

Interpretationes.

Non tentabitis Dominum Deum veſtrum.	*Non tentabis Dominum Deum tuum.*	*Non tentabis Dominum Deum tuum.*

V. Quin-

IV. Quintum argumentum nobis præbet Matthæus, qui Chriſtum ſic loquentem inducit; *Iota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant* (1). Quo in loco obiter adnotare libet, quemadmodum Græcorum characterum *iota* minimus eſt; æque minimum eſſe *jod* in alphabeto Hebraico, *bik* in alphabeto Chaldæo, *jud* in Syriaco; ac proinde eumdem ſenſum eadem litera tum Hebraice, tum Chaldaice, tum Syriace Chriſtus repræſentare potuit. Cum autem nulla harum, ſed Græca duntaxat litera uſus eſt, id certe ex eo fuit, quod Græce loquebatur. Eoque magis, quod iota apud Græcos adagii loco uſurpabatur, cum minimam alicujus rei partem ſignificare vellent.

Chriſtus Græcis proverbiis utebatur.

V. Denique argumentum ducimus ex eo cognomine Ieſu Chriſti, quo quidem ipſemet ſeipſum appellat in libro Apocalypſeos, ubi indicans ſe eſſe rerum omnium principium, & finem ſic ait; *Ego ſum alpha, & omega, initium, & finis* (1). Et initio ejuſdem libri; *Ego ſum alpha, & omega, principium & finis, dicit Dominus* (2): quia ſicuti *alpha* initium eſt Græci alphabeti, & *omega* finis, & terminus; ſic ſolus ipſe principium eſt univerſorum, a quo omnia, & finis, propter

Item Græco Alphabeto.

(1) *Matth. Cap. V. v.* 18.
(2) *Apocalyp. Cap. XXI. v.* 6. *Item Ibid. Cap. XXII. v.* 13.
(3) *Ibid. Cap. I. v.* 8.

pter quem omnia condita ſunt, & cui nullus ſuccedit finis (*).

VI.

(*) Hic Hugo Grotius argumenti vim prævidens ita contra nos in commentariis ad hæc Ioannis verba ſcribit. *Eſt locutio* (nempe *Alpha*, *et Omega*) *a Rabbinis deſumpta*, *qui dicunt ab* מאלף ועד תי, *ab initio ad finem ab Aleph & uſque ad Thau; ut Ialkuth ad* 2. *Sam.*, *Iſaac Benarima ad Levit.* 26. *et contracte* תי א *Principium*, *et Finis*, *in libro Zohar*, *in Porta lucis*, *in Portis juſtitiæ*, *Bahir*, *et alii*. *Ioannes eam locutionem aptavit ad Alphabetum Græcum*, *quia ipſe Græce ſcribebat*.

Sed bona pace tantorum manium, argumentum indignum eſt tanto viro. Nam ſi vere Chriſtus Chaldaice (ut Grotius putat) non Græce protulerit verba hæc; Chaldaice pariter exſcripſiſſet Ioannes, puta; *ego ſum Olaph*, *et Tau*, *dicit Dominus*. Nec juvat dicere, verba hæc Græco ſermone expreſſiſſe Ioannem, quod Græce ſcribebat; nam omnem contradicendi anſam præcidit Ioannes ipſe, qui quotieſcunque alterius linguæ verba referre habet, ea nunquam Græce exhibet, quamvis Græce ſcripſerit. Sic capite IX. v. II. ejuſdem libri ait; *Regem*, *Angelum abyſſi*, *cui nomen Hebraice Abaddon Græce autem Apollion*. Et in capite XVI. v.16. inquit; *In locum*, *qui vocatur Hebraice Armagedon*. Sic etiam in Evangelio cap. I. ubi duos Ioannis diſcipulos inducit Ieſum Ῥάββί appellantes, ſtatim ſubdit ὃ λέγεται ἑρμηνευόμενον διδάσκαλε. Atqui ſi minoris momenti verba ſic retulit, quamvis Græce ſcripſerit; quanto magis id egerit divina Chriſti verba exſcribens?

Quod

VI. Helleniſtica item lingua, uti patria, uſi ſunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ: cujus rei argumentum ducimus ab eadem Helleniſtica dialecto, quam ipſi adhibuerunt. Hæc ſane dialectus, ut pluries dictum eſt, verbis conſtat Græcis, locutionibus Hebraicis, & Chaldæis, quæque nonnullos Macedonum, Ægyptiorum, & Syrorum idiotiſmos admixtos habet. Atque hujuſmodi dicendi genus adeo fuit Apoſtolis, atque Iudæis tunc temporis peculiare, nullum ut extra eam gen- Helleniſmus Apoſtolis fuit vernaculus.

I tem

Quod vero pertinet ad priora Grotii verba; *Eſt locutio Alpha, & Omega a Rabbinis deſumpta &c.* ea quidem ambigua ſunt. Neſcias enim, an dicat Rabbinos locutionem eam ſumpſiſſe a Ioanne, an contra hunc a Rabbinis. In priori ſenſu nihil obſtat, ſi Rabbini Ioannem ſequuti ſint, utpote qui Ioanne ipſo longe poſteriores fuerunt. Altero autem ſenſu Grotii verba ſi accipias, falli eum comperies; cum Rabbini ab ipſo citati [etiamſi iis ſtare velimus, qui hos antiquiores faciunt] fuerunt Ioanne ipſo recentiores. Nam liber *Zohar* compoſitus fuit a R. Simeon Ben Iochai, & *Bahir* a R. Nehemia filio Acanæ, qui ſecundo ſæculo claruerunt; *Ialkuth* vero ad II. Sam. jamdiu poſt fuit conſarcinata; ſicuti etiam longe recentiores fuerunt *Porta lucis*, cujus auctor fuit R. Ioſeph Gecatilia, qui XI. poſt Chriſtum ſæculo claruit, & *Porta Iuſtitiæ* a R. Karnitol ſcripta, qui vixit circiter annum Chriſti 1500. & R. Benarima. Nulla igitur Grotii objectio eſt.

tem, non dicam populum, ſed ne ſcriptorem quidem invenias, qui ſic loqueretur. Hujus autem rei ſi diligenter attendamus, tres tantum cauſſas eſſe potuiſſe comperiemus; aut quod hanc dialectum Apoſtoli a Græcis ſibi comparaverint; aut quod Deus eos illam docuerit; aut denique quod eadem ipſis patria, ac nativa fuerit.

Atqui dici nequit Apoſtolos illam a Græcis hauſiſſe. Nam I. ut refert Ioſephus, abhorrebant Iudæi ab externis auctoribus legendis, tum multo magis ab eorum lingua ediſcenda, nefaſque erat illi genti alienigenarum ſermonem callere (1). II quia Apoſtoli pene omnes omnis literaturæ expertes fuerunt; quare nulla eos cauſſa impulerit ad Græcos ſcriptores lectitandos; eoque magis, quod ſi Græcos auctores legiſſent, elegantiorem profecto ſtilum ſibi excudiſſent. Neque dicas, quod perperam nonnulli putant, ſacros auctores a Græca LXX verſione, quam diurna, nocturnaque manu verſabant, ſtilum illum comparaſſe. Nam primo nullo teſte, nulloque auctore id adſeritur. Secundo quia Helleniſtica lingua verſionis LXX, non eſt eadem, atque Helleniſtica Apoſtolorum, ut viri docti obſervarunt. Apoſtoli enim frequenter Latiniſmis utuntur, quibus illa caret. Quod ſane manifeſte docet linguam hanc popularem fuiſſe,

(1) *Ioſeph in fine Lib. Antiq.*

fuiſſe, quæque in dies externorum vocabulis augebatur. Tertio quia Apoſtoli, utpote qui illiterati, ac rudes, nihil aliud, quam vernaculam linguam callebant. Quare ſi vere Helleniſmus ipſis peregrinus fuerit, non poterant certe ex verſione illa non modo ſtilum ſibi excudere, ſed ne legere illam quidem, aut ſine interprete intelligere. Nec præterea dici poteſt fuiſſe Helleniſmus a Deo Apoſtolis inditus. Nam ut alia mittam, ſi ea lingua omnibus non modo Apoſtolis, ſed Iudæis, ut ſupra demonſtravimus, ſcriptoribus (quibus nullum linguarum donum largitus eſt Deus) communis fuit; non eſt certe, cur Apoſtolis indidiſſe eam Deum, quiſquam dicat. Supereſt ergo, ut hoc loquendi genere, veluti proprio, & vernaculo Apoſtolos uſos fateamur; quæ una videlicet eſt tam novi, atque a communi Græcorum conſuetudine abhorrentis ſermonis, cauſſa veriſſima.

VII. Ex tot ergo rationum momentis eccui non manifeſtum eſt, Helleniſmum non modo Iudæos a Machabaico ævo, ſed etiam Chriſtum, & Apoſtolos, tanquam illi ætati communem, adhibuiſſe? Quare merito colligere licet, eum cum Matris lacte Chriſtum hauſiſſe; quotidianaque loquendi, & docendi conſuetudine veluti conſecraſſe; eumdem, dum humi ſcripſit, atque adulteram mulie-

rem abſolvit, uſurpaſſe. Helleniſtice igitur locuta eſt Maria mater ejus; Helleniſtice Gabriel, cum ad eam venit, divinamque Verbi incarnationem nunciavit. Hoc ipſo tandem tamquam Apoſtoli, patrio, uſi ſunt, & evangelicam legem prædicarunt. Atque hinc factum eſt, ut hujuſmodi linguam diu in ſuis liturgiis, ſacriſque ceremoniis retinuerit antiquior Eccleſia.

DE CHRISTO HELLENISTA

PARS TERTIA.

RESPONDETVR AD QVÆ STATVVNT, ET OPPONVNT ADVERSARIARVM SENTENTIARVM PATRONI.

POſtquam ſatis ſuperque, aut nos fallimur, demonſtratum eſt Iudæos a Machabæorum ævo, & Chriſtum Helleniſticam linguam uſurpaſſe, reliquum eſt ut aliorum opiniones ſuper ea re expendamus. Itaque primo varias de Chriſti lingua ſententias proponemus, & refutabimus; tum iis, quæ harum patroni objiciunt, occurremus.

CAPVT I.

Variantes de Chriſti lingua opiniones proponuntur, & refutantur.

TRiplex de Chriſti lingua ſententia eſt. Prima, quæ ipſa parum in vulgus probatur, eſt, Chriſtum Hebraice locutum eſſe.

Altera prope ſingularis, quæ locutum docet Latino idiomate. Tertia longe ceteris receptior eſt, quæ locutum contendit ſermone Chaldaico, ſeu Syriaco. Nunc ſingulas ordine refellemus. Sed adverte tamen, mi Lector, nos heic de vernacula Chriſti lingua quærere, de ea videlicet, quæ tunc vulgo in Iudæa obtinebat. Nam ceteroqui quis neget, Chriſtum linguas omnes calluiſſe? Quare ſi Chaldaico, aut Hebraico verbo aliquando uſus eſt, non inde conſequitur, Chaldaicam, aut Hebraicam linguam ſemper uſurpaſſe, alterutramque ipſi vernaculam fuiſſe. Nunc ad rem.

SECTIO I.

Hebraica lingua nec Chriſto, neque coævis Iudæis fuit vernacula.

SVnt igitur qui Chriſtum, & Apoſtolos Hebraice locutos eſſe exiſtiment, quod nimirum ſanctior Hebræa ipſis lingua videatur: quaſi vero in ſono, & criſpatione linguæ reponenda ſit ſermonis cujuſquam ſanctimonia. Fuit ſane in ea ſententia Otho Sperlingius (1), paucique alii, quibus ſacram hiſtoriam non admodum perſpectam fuiſſe oportet. Vt enim plerique eruditorum docent,

(1) *Sperlingius de Num. non cuſis Cap. XVIII. p.* 110.

cent, lingua illa jam inde a Babylonica ſervitute Hebræis vernacula eſſe deſiit. Hi enim, Ioachimo Rege, tanta a Chaldæis mala perpeſſi ſunt, ut cum plurimi gladio interfecti fuerint, tum qui gladium evaſerunt in ſervitutem abſtracti fuerunt Babylonem (1). Illic autem dominorum linguam ediſcere, eaque loqui coacti ſunt; ſicque ſuam ſenſim oblivíſci, præſertim tanto annorum ſpatio, hoc eſt ſeptuaginta, quo ſervitutem apud eam gentem ſervierunt. Adde quod ipſi inter Chaldæos diſperſi, ductiſque in matrimonium Chaldæis feminis ex his filios procrearunt, quos non niſi Chaldaice loqui docebant. Par enim eſt credere, ut neceſſe erat fieri, tam diuturno intervallo ſeniores quidem, qui ab Iudæa transducti fuerant paulatim defeciſſe, atque interiiſſe; juniores autem apud Chaldæos natos,atque altos Hebræam linguam ignoraſſe, Chaldæam vero, quam cum lacte hauſerant, in omni ſermone uſurpaſſe. Ex quo factum eſt, ut cum in paternas ſedes redierunt Hebræi Hebraice non intelligerent, ut ſcribit Nehemias. Cum enim in templo legeretur liber legis Hebraice, dicitur populus fleviſſe, eo quod Hebraica verba non intelligeret; cumque Eſdras verba legis Chaldaice interpretatus eſſet, ille incredibiliter

(1) *Ierem. Cap. XXV. Lib. II. Paralip. Cap. XXXVI.*

lætatus eſt (1). Hinc porro evenit: *Ut poſt Eſdræ reditum lex in linguam Chaldaicam verteretur in gratiam vulgi, quod linguæ Hebrææ tempore captivitatis oblitum, Chaldæam intelligeret*; ut docet R. Azarias, & R. Gedalias (2) aliique: & ut Iudæi non Hebraice, ſed Chaldaice libros ſuos conſcriberent, quod feciſſe ſcimus Danielem, Eſdram, Nehemiam: neque amplius Hebræorum æra (3) ſed Chaldaica uſi ſint, ut adhibuiſſe invenimus Danielem (4), alioſque (5). Ad hæc dum in ſervitute fuerunt, Hebraico charactere repudiato, Chaldaicum ſuſceperunt; neque enim quas literas Hebraicas dicimus, Hebraicæ vere ſunt, ſed Chaldaicæ; antiquiores autem Hebraicæ ſunt illæ ipſæ, quas modo Samaritanas appellamus. Nunc qui fieri potuit, ut quæ lingua tanto ante apud Iudæos uſurpari deſierat, eadem Chriſti ætate vulgo iidem Iudæi uterentur? Sed hæc ſatis per ſe aperta ſunt; alio pergamus.

SECTIO II.

Exponitur, & confutatur Harduini opinio.

IOannes Harduinus, vir ceteroqui ingenio, & eruditione plane incredibili, in calce com-

(1) *V. Nehemiam Cap. VIII., & Interpr. ibi.*
(2) *R. Azarias & R. Gedalias citati in p. 75.*
(3) *Ut in Lib. IV. Reg. Cap.I. v. 17. C.III.v.1.&c.*
(4) *Vide Danielem Capite II. verſu 1.*
(5) *Eſdras Cap. I. v. 1. Nehemias Cap. V. v. 14.*

commentariorum novi Teſtamenti docet, Latinam linguam fuiſſe Chriſto Domino, atque adeo ipſiſmet Iudæis familiarem. *Ex quo enim*, inquit, *Romani ſupremum jus in Iudæam, & Hieroſolymam intulerunt, Herode ibi Rege poſito, multo vero magis poſt Archelai obitum, cum Præſides, ſive Procuratores miſſi eo ſunt a Cæſaribus, Latinam ibi linguam fuiſſe per quam uſitatam ob commercium cum Romanis neceſſarium . . . . Loquebantur ergo Latine Hieroſolymis Iudæi cum Romanis, uti nunc Avenione Gallice, Italice Romæ, Germanice in Germania, in Anglia Anglice, alibi alia lingua.*

Expoſui fere non eruditi ſententiam, ſed τῦ παραδοξοτάτυ delirium; neque melius librum tot, tantiſque refertum erroribus auſpicari poterat Harduinus, cujus ſententiam nemo adhuc, quem ſciam, ſectatus eſt. Ceterum quicunque eam paullo attentius expenderit, non poterit non ut abſurdam, & abhorrentem repudiare. Verum quidem eſt, quod nos initio hujus diſceptationis ſtatuimus; *Populorum linguas ab armis victricibus plerumque mutari*; tamen non ſic res habuit in Iudæa, cum Romani in eam venerunt. Bis enim ipſi ante Chriſtum natum in Iudæam appulerunt, ſanctamque urbem expugnarunt. Ac primum anno LIX. ante Chriſtum Romanorum primus Cn. Pompejus Iudæos

daeos ſubegit (1), antea enim, præſertim Machabæorum ætate, Iudæi fœdere cum Romanis ſociabantur (2), iſque Iudæam venit non ut eam occuparet, ſed ut Ariſtobulum, & Hyrcanum de regni ſucceſſione ſortienda diffidentes inter ſe componeret. Capta vero Hieroſolyma, temploque ingreſſo nihil ex eo attigit, ratus populum benevolentia potius, quam timore ſibi conciliatum iri, quod teſtatur Tullius in oratione pro Flacco (3), cui adſtipulatur & Ioſeph (4). Quin etiam fanum purgare juſſit Pompejus, in eoque ſacra fieri, ac reſtituto demum Hyrcano in pontificatum diſceſſit (5). Alter vero Romanorum, qui Hieroſolymam invaſit, fuit Soſius, qui M. Antonii juſſu anno XXXIII. ante Chriſtum ortum Herodi Iudaicum regnum appetenti opem tulit. Tunc urbe expugnata militarem licentiam Herodes compreſſit, vetuitque, non modo ne templum Romani ingrederentur, ſed ne urbem etiam belli jure deprædarentur; tantum illis pro obſidionis labore mercedem de ſua pecunia numeravit. Quare Soſius corona aurea Deo dicata, Hieroſolymam, omnemque circa regionem novo Regi reliquit

(1) *Tacitus Lib. V. Hiſtoriarum Cap. 9.*
(2) *Lib. I. Mach. Cap. VIII, XII, & XIV.*
(3) *Cicero Orat. pro Flacco Cap. Y.XVIII.*
(4) *Ioſeph de Bello Lib. I. Cap. VII. p. 67. ad 69.*
(5) *Id. ibidem Cap. VI. & VII. p. 65. ad 69.*

quit (1). Attamen nec Pompejo, nec Soſio bellum Iudæis inferente, ullas Romanas colonias in Iudæa relictas, aut patrios ritus immutatos, aut novum aliquod inſtitutum inductum legimus. Quin imo pluribus Romanorum decretis Iudæis honores attributi ſunt, conceſſumque ipſis, ut patria inſtituta retinerent, eaque ubique gentium profiteri poſſent: de quibus plura habes apud Ioſephum in antiquitatibus Iudaicis (2). Adde quod milites a Pompejo (3), & Soſio (4) in Iudæam deducti non omnes Romani fuere, ſed major eorum pars ex Syris conſtabat. Scimus quidem, anno Chriſti nono, Iudaicam regionem in Romanam provinciam fuiſſe redactam; tamen ne tum quidem quidquam accidit, quod patriam regionis linguam immutaret: cum Romanorum manus, qui eo ad habitandum deducti ſunt, adeo modica fuerit, ut cum in oriente Romanis pugnandum eſſet ab eadem Iudæa, & reliqua Palæſtina milites legerentur. Et exercitus Romanorum in Iudaico excidio (ſi paucas legiones excipias) totus ex Syriæ, Arabiæ, Aſcalonæ, & Cæſaræ gentibus fuit conflatus (5). En ut Iudæam Romani, tenue-

(1) *Ioſeph Lib. I. de Bel. Cap. XVIII. p. 98. 99.*
(2) *Idem in Antiquit. Lib. XIV. Cap. X.*
(3) *Idem de Bello Lib. I. Cap. VII. §. 5. p. 66.*
(4) *Idem in Antiq. Lib XIV. Cap. XV. §. 10. pag. 734.*
(5) *Idem de Bello Lib. V. Cap. I. §. 5., & alibi. Tacitus Libro V. Hiſtoriarum Capite I.*

tenuerunt. Quis nunc ſibi perſuadeat, Romanos, qui Iudæam ante Chriſtum ceperunt; ac poſt Chriſti ortum tam parvas Romanorum copias Latinam linguam inferre potuiſſe, aut reipſa in Iudæam intuliſse? Neque tantum hiſtoria, verum etiam monumenta ipſa, quæ exſtant Harduino adverſantur, ſiquidem numi Romanorum, qui tunc apud eam gentem cudebantur, non Latino, ſed Græco idiomate ſignati ſunt; qua de re vel ipſum conſulas licet Harduinum de numis Herodiadum. Præterea urbes, quæ in Romanorum honorem noviter ſtatutæ ſunt in Iudæa, ac Palæſtina, Græcum nomen obtinuerunt, cujuſmodi ſunt *Σεβαστὴ* in Auguſti, *Λιβίας* in Liviæ, *Δροῦσος* in Druſi, *Τιβεριὰς* in Tiberii honorem extructæ. Quæ cum ita ſint, non video, quæ ratio movere potuerit Harduinum, ut diceret, Latinam linguam vulgo receptam fuiſſe in Iudæa, uti nunc Avenione Gallicam, Romæ Italicam, & Germanicam in Germania, præſertim cum multo magis Græca, quam Latina pateret; quod vel ipſe Tullius teſtatur oratione pro Archia Poeta, ubi de utraque lingua loquens, hæc ait; *Græca leguntur in omnibus fere gentibus; Latina ſuis finibus exiguis ſane continentur* (1). Explodatur ergo hæc ſententia, interque Harduini paradoxa referatur.

SE-

(1) *Cicero Orat. pro Archia Cap. X. n. 23.*

SECTIO III.

Neque Chriſto, nec coævis Iudæis Chaldaica, aut Syriaca lingua fuit vernacula.

ACcedimus nunc ad eorum opinionem, qui Chriſtum Chaldaice, ſive Syriace locutum fuiſſe docent. Ioannes Albertus Widmanſtadius Iuriſconſultus, & Senator, qui primus in Europa novum Teſtamentum Syriacum edidit, in dedicatione ad D. Ferdinandum Romanorum Imperatorem contendit, linguam Chaldæam, ſeu Syriacam, quam in Babylonica ſervitute didicerunt Hebræi, uſque ad Chriſti ætatem perduraſſe: ita ut Chriſtus Dominus, B. Virgo, Apoſtoli, ceterique Iudæi Chaldaico idiomate locuti ſint. Eaſdem tibias inflavit Georgius Amira (1) Edenienſis e Libano in Grammaticæ Syræ præludiis. Eidem ſententiæ ſubſcripſerunt Arias Montanus (2), Maldonatus (3), Waltonus (4), Salmaſius (5), Grotius (6), Huetius (7) Riccardus Simonius (8), Breewordus (9), Calmetus (10), aliique ſane plurimi, etſi nonnihil

(1) *Amira in Præl. Gram. Syr. de ling. Syr. dignit.*
(2) *Montanus Adm. ad. Lect. de Syriac. N. T. libris.*
(3) *Maldonatus ad Matth. Cap. XXVII. v. 46.*
(4) *Waltonus in Prolegom. XIII. §. 5.*
(5) *Salmaſius in fun. ling. Hellen. p. 42. & alibi.*
(6) *Grotius Com. in Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34.*
(7) *Huetius in Demonſ. Evang. Prop. IV. C. XIII.*
(8) *Simonius Hiſt. Critiq. du N. T. p. 60. ad 70.*
(9) *Breewordus de ling. & Relig. Cap. X.*
(10) *Calmet. Com. ad Matth. Cap. XXVII. v. 46.*

nihil ſuper dialecto inter ſe diſcrepant. Nam Widmanſtadius, & Amira eamdem dialectum Chriſtum uſurpaſſe volunt, qua Syriaca novi Teſtamenti editio conſcripta eſt, quamque Syriacam vocamus. Alii contra pro Chaldaica dialecto pugnant, qua ſcriptæ ſunt paraphraſes Onkelos, & Ionathanis. Qui tamen omnes eodem recidunt; cum tam hæc, quam illa dialectus Chaldaicæ linguæ nomine veniant, quod norunt eruditi.

Sed miror, homines antiquitatis peritos non attendiſſe ad tot rerum viciſſitudines, quas Iudæa ſub Græcorum imperio paſſa eſt, de quibus ſupra diximus. Quamobrem etſi verum eſt, Hebræos, cum Babylone reverterunt, Chaldaicam linguam in Iudæam intuliſſe; nihilominus hæc minime uſque ad Chriſti ætatem, ſed quatuor duntaxat conſequentibus poſt ſæculis viguit; ita ut Machabæorum ævo jam non exſtaret amplius, ſuccedente in ejus locum Helleniſmo. Hinc quibus rationibus nixi ſtatuunt adverſarii, Hebræos in Babylonica ſervitute Chaldæam linguam recepiſſe, Hebraicam repudiaſſe; iiſdem, & ipſe utar, oſtendamque Iudæos ſub Græcorum imperio Chaldæum ſermonem reſpuiſſe, Græcum amplexos eſſe. Et ſane ſi, ut jactant adverſarii, Iudæi ſeptuaginta annis ſub jugo Chaldæorum fuerunt; iidem centum nonaginta, & amplius annos Græco-

rum

rum imperium paſſi ſunt. Si Hebræis Babyloniam deductis ipſa Iudæa vidua gentium facta, & dicta eſt (1); ſub Græco imperio non modo quamplurimi Hebræorum in Græcas urbes translati, & diu poſt Græce loquentes in Iudæam reſtituti ſunt; ſed univerſa ferme regio ita demum Græcis coloniis fuit referta, ut exterorum habitatio diceretur, ut ſcribit auctor 1. Machabæorum; *Et facta eſt habitatio exterorum* (2). Præterea ſi Babylone cogebantur Iudæi Chaldaice loqui, ſuamque linguam oblivíſci; imperantibus Græcis quiſquis Helleniſmum non reciperet, & inſtituta, linguamque patriam non repudiaret, ei mortis pœna erat propoſita. Quin multa plura poſſum in mea cauſſa, quam adverſarii in ſua faciunt, jactare. Quippe Iudæi ſua ſponte in Helleniſmum proni erant. Quidni? Cum Græcorum imperio ſe ultro dediderunt (3), magnoque emerunt veniam ad Græcos ludos Hieroſolymis conſtituendos. Sed, ut ne repetam, quæ late Capite ſecundo prioris Partis perſecutus ſum, en quo pacto de eis loquitur auctor ſecundi Machabæorum; *Et patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur, quarum gratia periculoſa eos contentio habebat, & eorum inſtituta æmulaban-*

(1) *Vide Ierem. Thren. Cap. I. v. 1.*
(2) *Lib. I. Mach. Cap. I. v. 40.*
(3) *Lib. I. Mach. Cap. I. v. 12. & ſeq.*

labantur, *ac per omnia bis conſimiles eſſe cupiebant*, *quos hoſtes*, *& peremptores habuerant* (1). Si vere igitur Chaldaica ſervitus Hebræis Chaldæum ſermonem inſtillavit, Hebraicum abſtulit, ut volunt adverſarii; multo magis Græca ſervitus Chaldaicam linguam abſtulit, Græcamque invexit. Sed age id ipſum aliquanto accuratius perpendamus, probemuſque, Iudæos Chriſti ævo non amplius Chaldaice ſciviſſe.

Chriſtus dum in cruce penderet, Patrem his pſalmi XXI. verbis invocavit, אלי אלי למה שבתני; *Eli Eli lamma ſabactani*; *Deus meus*, *Deus meus*, *ut quid dereliquiſti me*? Hæc quidem mere Chaldaica ſunt, ut iis etiam notum eſt, qui orientales linguas primis, ut ajunt, labiis guſtarunt. Eoque magis, quod Chaldaicæ Onkelos, & Ionathanis in eumdem pſalmum paraphraſi conſonant. Quin adverſarii ipſi Watablus, Grotius, Druſius, Munſterus, Zegerus (2), Scaliger (3), Waltonus (4), aliique docent, Chriſtum querelam hanc eadem lingua, ac dialecto expreſſiſſe, qua tunc vulgo Iudæos uſos fuiſſe volunt, nempe Chaldaica. Bene eſt; ſed nihilominus tantum abeſt, ut adſtantes Iudæi Chaldaica hæc verba intellexerint, ut

(1) *Lib. II. Mach. Cap. IV. v.* 15, *& ſeq.*
(2) *Omnes in Comm. ad Matth. Cap. XXVII. v.* 47.
(3) *Ioſeph. Scaliger Epiſt.* 449. *Lib. IV.*
(4) *Walton Proleg.* XIII. §. 5.

ut potius vocum ſimilitudine capti putaverint Eliam a Chriſto invocari. Quare mirati inter ſe dixerunt; *Eliam vocat iſte... Ceteri vero dicebant*: *ſine, videamus, an veniat Elias liberans eum* (1). En quam bene Chaldaicam linguam intelligebant Iudæi! Quis nunc ſibi perſuadeat, eos Chaldaicum idioma uſurpaſſe, cum ne verbum quidem hujus Chaldaicæ querelæ intellexerint? Sed hic adverſarii argumenti vim perſpicientes, quippe quod uno veluti ictu ſuas de ea re ſententias concidat, multa comminiſcuntur ad illud labefactandum. Præſtat ſingillatim ea audire, & refellere.

Ac primo Ioannes Maldonatus, Cornelius a Lapide, Auguſtinus Calmet (2), aliique docent Romanos milites fuiſſe, qui Eliam a Chriſto vocari crediderunt; utpote qui Chaldaice ignorabant. Confirmant id ex eo, quod is, qui apud Matthæum, & Marcum (3) Eliam a Chriſto advocari putavit, eique acetum propinavit, unus exſtiterit ex Romanis militibus, quod ex Luca, & Ioanne liquet (4). Sed hæc interpretatio ſane, ut mihi videtur, indigna eſt hominibus eruditis, cum nec Romani, nec reliqui gentiles unquam Eliam noverint. Etenim Iudaica gens cum

K nullo

(1) *Matth. Cap. XXVII. v. 47. ad 49.*
(2) *In Com. ad Matth. Cap. XXVII. v. 47.*
(3) *Matth. ib. Marc. Cap. XV. v. 35. 36.*
(4) *Luc. Cap. XXIII. v. 36. Ioan. Ev. C. XIX. 23. 29.*

nullo ſe commercio conſociari patiebatur cum advenis; tum multo minus ſacram hiſtoriam ab iis cognoſci. Vnde factum eſt, ut nemo ex gentilibus Hebræorum annales, reſque geſtas noverit; quod ex eo præcipue intelligitur, quod nullus unquam de ea ſcribere, vel eam leviter attingere auſus eſt. Ac mitto heic Demetrii Phalerei, ficti Ariſteæ, Flavii Ioſephi, Apollonii Molonis, Lyſimachi, aliorumque teſtimonia; de Romanis tantum loquar. Nemo quidem horum Prophetas, aut Iudæorum hiſtoriam cognovit. Trogus Pompejus licet diu id ſtuduerit, aſſequi tamen nullo modo potuit, Iudæis repugnantibus. Vnde de illis verba faciens, ait; *Caverunt, ne cum peregrinis communicarent, quod ex cauſſa factum, paulatim in diſciplinam, religionemque convertit* (1). Et vero cum Petrus Cornelii Centurionis domum venit, inventa illic Romanorum multitudine, palam profeſſus eſt; *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo conjungi, aut accedere ad alienigenam* (2). Apoſtoli autem, ut audierunt Petrum Romani domum ingreſſum fuiſſe, ſciſcitati ſunt eum; *Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Quibus Petrus ſe Angeli juſſu id feciſſe profeſſus eſt (3).

Non-

(1) *Apud Iuſtinum Lib. XXXVI. Cap. II.*
(2) *Act. Apoſt. Cap. X. v. 28, & Cap. XI.*
(3) *V. Matth. IX. 11. 12. Ioan. XVIII. 28. Galat. II. v. 12.*

Nonne potuit Martialis, ac Tacitus Iudæorum res probe noſcere, perſpectaſque habere? ita ſane. Romæ enim magno tunc numero illi degebant. Sed minime tamen aſſecuti ſunt: qui cum Hebræorum hiſtoriam vel leviter attingunt, vix dici poteſt, quantis eam figmentis depravant. Qua de re exercitationem conſcripſit Chriſtianus Wormius, De *corruptis antiquitatum Hebræorum apud Tacitum, & Martialem veſtigiis*, & alteram Georgius Gaſpar Kirchmajerus, *Ad* C. C. *Taciti hiſtoriam libri V. de rebus, moribuſque Iudæorum* (1). Sed lege quæſo quemadmodum de Iudæorum origine diſſerat Tacitus; *Iudæos*, inquit, *Creta inſula profugos, noviſſimæ Lybiæ inſediſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus vi Iovis pulſus ceſſerit regnis. Argumentum e nomine petitur: inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in Barbarum cognomento, Iudæos vocitari* (2). Riſum teneatis amici? Nunc quis ſibi perſuadeat, milites Romanos adeo rerum peritos fuiſſe, ut quid hominis Ionas, Habacuc, Michæas, Elias fuerit, pulchre noſſent? Neque magis juvant Maldonatum Evangeliſtarum teſtimonia, quod ſcilicet, qui apud Matthæum, & Marcum acetum Chriſto porrexit, eum Romanum militem Lucas, & Ioan-

(1) *Vterque exſtat apud Vgolinum in Theſ. Ant. Hebr. T. II.*
(2) *Tacitus Libro V. Hiſtoriarum Capite II.*

Ioannes fuiſſe deſignent. Nam primo aliud eſt, de quo loquuntur primi, aliud, de quo poſteriores, ut legenti patet. Præterea neque Lucas, neque Ioannes teſtantur fuiſſe Romanos milites, qui acetum Chriſto propinarunt; ſed generatim de militibus Chriſti tortoribus loquuntur, quos vel ipſos Iudæos fuiſſe manifeſte indicant Ioannes, & Lucas (1). Perridiculum ergo eſt, vocem *milites* tantum pro Romanis accipere, quaſi vero uni Romani fuerint totius orbis milites. Ceterum omnem contradicendi anſam vel ipſi Hebræi præripiunt, qui docent fuiſſe in more poſitum olim apud ipſos acetum dare cruciariis ad eos refocillandos (2); de quo plura habet Grotius (3), Caſaubonus (4), Gallonius (5), Ioannes Gerardus Voſſius (6), aliique. Non itaque Romani fuerunt, qui acetum Chriſto porrexerunt, ac proinde nec qui *Eliam* a Chriſto advocari crediderunt.

Vidit id Grotius in commentariis ad hunc locum, qui ſic ait; *Hos puto fuiſſe non Romanos milites, quibus de Elia nihil erat cognitum, neque Iudæos Palæſtinos; ſed Helleniſtas, qui cum Hebræa verba non intelligerent, Eliæ*

(1) *Ioan.* C.*XIX*.*v*.14. *ad* 18.*Act*.*Apoſt*.C.*II*.*v*.36.*IV*.10.
(2) *V. Talmud. tract. Sanhedrin.* Cap.*VI*. *fol.* 43.
(3) *Grotius Com. ad Matth.* Cap. *XXVII*. 34.
(4) *Caſaubonus exercit. ad Baronium XVI.* Cap. 16.
(5) *Gallonius de ſſ. Martyrum Cruciatibus.*
(6) *Voſſius Lib. II. Harmon. Evang.* C. *IX*. §. 16.

Eliæ nomen ſibi notum audire ſe exiſtimabant. Quam interpretationem ſequitur Ioannes Gerardus Voſſius (1), & Auguſtinus Calmet in commentariis ad Marci Caput xv. v. 35. oblitus eorum, quæ ad Matthæi Caput XXVII. v. 46. ſcripſerat. Recte Grotius, ſed quod addit de Helleniſtis vereor, ut recto ſtare talo poſſint. Qui enim ſunt iſti Helleniſtæ? Grotius Heinſium ſecutus, putat fuiſſe Iudæos Græcienſes phraſibus uti ſolitos Hebraicis, quique extra Iudæam habitabant. Sed hanc ſententiam cum ad ſatietatem refellit Salmaſius, tum nos pariter ſupra eam expendimus, atque oſtendimus Helleniſtas non alios fuiſſe, quam Græcos illos Iudææ incolas, ſive eorum filios ibi ortos ethnica religione, ſed eadem lingua utentes, qua vulgo loquebantur Iudæi. Ceterum quoſcunque fuiſſe dicas Helleniſtas ſeu Græcos, ſive ethnicos, ſive advenas Iudæos, nullo teſte, nulloque argumento probavit Grotius illos fuiſſe, qui Eliam a Chriſto advocari putarunt. At contra Evangelia aperte indicant Iudæos ipſos Hieroſolymitanos, ſive Iudææ incolas verba illa protuliſſe *Eliam vocat*. Audiatur Matthæus; *Quidam autem illic ſtantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iſte: & continuo currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, &* im-

(1) *Io. Ger. Voſſius Lib. II. Harm. Evang. Cap. VIII. §. 21.*

impoſuit arudini ; & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant ; ſine, videamus, an veniat Elias liberans eum (1). Hæc amara quidem irriſio fuit, qua diriſſima in Ieſum odia indicabantur; quæ certe neque in Romanos, neque in ethnicos, neque in advenas qualeſcunque Ieſum non agnoſcentes cadere poterat; quippe quibus nihil unquam cum Ieſu fuerat. De Iudæis contra Hieroſolymitanis certo ſcimus commotos eos fuiſſe a primoribus populi ad Chriſti necem poſtulandam: qui proinde nefarias illas voces effutivere ; *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam* (2); *Crucifige, crucifige eum* (3); *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: ſalva temetipſum: Si filius Dei es deſcende de cruce* (4); ceteraque alia convicia. Quæ omnia manifeſte docent, Hieroſolymitanos ipſos verba inſuper illa de Elia, quem invocari a Ieſu putabant, protuliſſe. Quare tam crebro Ieſus ingratum horum animum in Evangeliis dolet. Quod de ethnicis, aut advenis Iudæis, a quibus nullam paſſus injuriam fuerat, feciſſe illum nunquam legimus. Quin non raro cum ethnicis Ieſum verſatum fuiſſe docet Tertullianus (5): & quandoque eorum fidem commendavit, quod fecit in Centurione ; profitens fidem ejus non inveniſſe

(1) *Matth. XXVII.* 47. *ad* 49. (2) *Luc. XXIII.* 18.
(3) *Luc. ib. v.* 21. (4) *Matth. XXVII.* 40.
(5) *Tertullianus Lib. de Pudic. Cap. IX. p.* 561. *ed. Pariſ.*

niſſe inter Hebræos (1). Iure igitur meritoque explodenda eſt hæc Grotii conjectura.

Alii hujus difficultatis vanitatem agnoſcunt quidem, ultroque fatentur, ipſoſmet Iudæos fuiſſe, qui dixerunt *Eliam vocat*. Sed addunt, eos non Chaldaicæ linguæ ignorantia id feciſſe, ſed procacitate quadam, & nominis *Eli*, & *Eliæ* ſimilitudine irridendi veluti occaſionem captantes. Hæc eſt ſententia Lucæ Burgenſis (2), quam ſequitur Ioannes Lightfoot (3), aliique. At reſpondemus his, ſi vere ſciviſſent Iudæi *Eli* Dei nomen indicare, minime quidem nomen illud corrumpere, atque ab eo contumeliæ anſam arripere, & ſic Dei nomen profanare auſi eſſent. Quippe nemo Iudaico populo obſervantior, ac Dei nominis reverentior fuit. De quo nimium zelotes ſe præbuit Deus in ſacris paginis, ut in Levitico; *Ne polluatis nomen meum ſanctum, ut ſanctificer in medio filiorum Iſrael* (4). Et in Deuteronomio; *Non uſurpabis nomen Domini Dei tui fruſtra: quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen ejus aſſumpſerit* (5). Sic in Exodo (6), Ezechiele (7), & alibi. Vnde quiſquis in præcepta hæc de-

(1) *Matth. Cap. VIII. v. 10. XI. v. 11. 12.*
(2) *Burgenſis in Com. ad Mat. Cap. XXVII. v. 47.*
(3) *Lightfoot in Armon. Evang. ſect. 86. p. 57. col. 2. T. 11.*
(4) *Levit. XXII. v. 32.* (5) *Deuter. Cap. V. 11.*
(6) *Exod. Cap. XX. v. 7.* (7) *Ezech. Cap. XX. 14.*

delinquebat Dei nomen aut corrumpens, aut fruſtra uſurpans, aut ab eo ludibrii anſam captans, Hebræus, vel advena foret, lapidationis pœna plectebatur (1). Quin imo poſt Babylonicam ſervitutem tantam Iudæi erga Dei nomen reverentiam habuere, ut pio quodam ſtudio a pronuncianda voce יהוה, quod etiam *Deus* indicat, abſtinuerint, ſubſtituto in ejus locum אדוני hoc eſt *Dominus meus*. Quare ſi forte in textu librorum ſacrorum legendo nomen illud occurrebat, non *Iehovah*, ſed *Adonai* pronunciabant; ne quotidiano uſu vileſceret Dei nomen, & in vanum ſumeretur, ut ea, quæ ſubinde in ore ſunt (2). Adde quod ne mendaces quidem gentilium Deos blasphemare, eiſque illudere audebant: quod eis propoſito etiam magno ſupplicio vetitum erat, teſtante Ioſepho; Βλασφημείτο δὲ μηδεὶς Θεὺς, οὓς πόλεις ἄλλαι νομίζουσι; *Nemo blaſphemet Deos, quos aliæ civitates Deos eſſe exiſtimant* (3). Quin neque per Deos jurabant falſos, ut in Exodo (4). Quod duplici ratione factum eſt, primo; Αὐτῆς ἕνεκα προσηγορίας τοῦ Θεοῦ; *Eo quod Dei nomine indigitabantur* (5). Secundo quia; Οὓς ἕτεροι νομίζουσι Θεὺς εἶναι, μὴ

(1) *Vi Selden. de I.N.Lib.II.C.XI.XII.XIII.T.I.p.*261.

(2) *V. Calmet Com. ad Iudith Cap. XVI. v.* 16. *Buxtorfium in Lexico Hebraico voce* יהוה.

(3) *Ioſeph Lib. IV. Antiq. C.VIII.* §. 10. *pag.* 230.

(4) *Exodus in Capite* XXIII. *verſu* 13.

(5) *Joſeph. Lib. II. cont. Apion.* §. 33. *pag.* 490.

μὴ κἀκεῖνοι διακινηθέντες ἃ μὴ θέμις φθέγξωνται κατὰ τȣ̃ ὄντως ὄντος; *Quos alii exiſtimaverint eſſe Deos, ne ipſi viciſſim irritati prorumpant in voces nefarias in Deum optimum maximum, qui verus Deus eſt*, ut teſtatur Philo Iudæus (1). Ac vix dici poteſt quantopere in eo religioſi eſſent, ut videre eſt apud eundem Philonem. Nunc quis credet, ipſos *Eli* vocem audientes corrumpere auſos fuiſſe, indeque ludibrii anſam captaſſe? Quæ omnia cum ita ſe habeant, colligere licet, fuiſſe Iudæos ipſos Palæſtinos, qui Eliam a Chriſto advocari putarint, non irridendi lubidine, ſed Chaldaicæ linguæ ignorantia, ob *Eli*, & *Eliæ* vocis ſimilitudinem.

Hinc Chriſti tempore in tota Iudæa nullum ſcriptorem invenies, qui Chaldaice, vel Syriace ſcripſerit; non amplius biblia Chaldaice prælegebantur; neque utebantur Iudæi Chaldaicis nominibus, aut Chaldaica æra, quam Daniel, & Nehemias adhibuerunt. Omnes autem communiter Græca lingua libros conſcribebant; Græce ſacrum codicem lectitabant, etiam in ſynagogis; Græca nomina imponebant ſibi; Græcorum æra utebantur, ut fuſe in ſuperiori Capite diſſeruimus. Ac denique, ut Voſſii verbis utar; *Vel unum ſaltem* (adverſarii) *proferant teſtem, qui eo tem-*

(1) *Philo Iud. lib. I. de Monarch. T.II.p.219. ed.Angl.*

tempore linguæ Syriacæ, *aut Chaldaicæ fecerit mentionem* (1). Sed hactenus hæc; nunc quid ipſi pro Chaldaica, aut Syra lingua afferant, expendamus.

CAPUT II.

Reſpondetur ad quæ Adverſarii afferunt pro Syra lingua.

I. De Paullo Hebraice alloquente Iudæos.

PRima difficultas exiſtit ex viceſimo primo, & ſequenti Actuum Apoſtolorum Capite, ubi dicitur Paullus Ἑβραΐδι διαλέκτῳ *Hebraico idiomate* loquendo Iudæos placaſſe, qui ipſum diſcerpere volebant; *Paulus ſtans in gradibus*, *annuit manu ad plebem*, *& magno ſilentio facto*, *allocutus eſt lingua Hebræa*, *dicens: Viri fratres*, *& patres audite*, *quam ad vos nunc reddo rationem. Cum audiſſent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos*, *magis præſtiterunt ſilentium* (2). Ex quo colligunt adverſarii, ſi Iudæi Paullum audientes Hebraice loquentem attentiores facti ſunt; Hebraicam, ſive Syriacam, ſive Chaldaicam linguam fuiſſe ipſis familiarem manifeſtum eſt. Siquidem Chaldæam, ſive Syriacam eamdem, atque Hebræam eſſe volunt, & ſola

(1) *In Obſer. ad iter. Simon. object*, *Reſp. p.* 375.
(2) *Act. Apoſt. Cap. XXI. v.* 40., *& Cap. XXII. v.* 1. *&* 2.

& ſola dialecto inter ſe differre. Sic Salmaſius; Ἑβραῒς, *vel* Ἑβραϊκὴ διάλεκτος *in N. Teſtamento non alia intelligenda, præter vulgarem Syriacam, quæ in uſu erat Hieroſolymis, & in reliqua Iudæa. Et cum dicunt auctores, Evangelium* κατὰ *Matthæum ſcriptum fuiſſe Hebraico ſermone, de Chaldaico, & Syriaco intelligi debere, auctor eſt Hieronymus, quale Matthæi tempore fuit, & Chriſti ipſius idioma Hieroſolymitanum* (1). Neque aliter Grotius (2), Simonius, aliique.

At difficultatem omnem tollit codex Cantabrigienſis omnium vetuſtiſſimus, aliique MSS., qui pro Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, ut in vulgata, habent τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ *patria lingua* (3), ita ut Paullus illud adhibuerit idioma, quod tunc Hieroſolymis in uſu erat. Quodnam autem id erat, niſi Helleniſticum? Sed ne ad hæc, tanquam in aram, confugiamus, aio, quamvis vulgatæ lectioni ſtare velimus, nihil tamen eſſe, cui reſpondere tam facile poſſumus. Siquidem hæc ipſa Paulli allocutio Hebraice facta tanquam res nova, & inexſpectata Iudæis narratur a Luca; quod manifeſte indicat inſuetum fuiſſe eo tempore Hebraicum ſermonem. Nam plures in Actis exſcribuntur Iudæorum orationes, allocutiones, colloquia, cujuſmodi ſunt

(1) *Salmaſius in Fun.lin. Hellen. p.* 40. *ad* 43.
(2) *Grotius in Act. Apoſt. Cap. XXI. v.* 40.
(3) *Vide Calmet, & Grot.ad Act.Apoſt. C.XXI.v.*40.

ſunt Petri oratio de novo Apoſtolo ſufficiendo in locum Iudæ (1); ejuſdem ad Iudæos allocutio pœnitentiam denunciantis (2); Stephani item protomartyris ad Synedrium (3); Paulli ipſius orationes coram Anania Principe ſacerdotum (4), & coram Agrippa (5), & complures aliæ; at nuſquam tamen iſtiuſmodi Hebraicus ſermo commemoratur; præter quam in Capite XXVI. 14. ubi narrantur voces illæ cœlitus auditæ a Paullo, *Quid me perſequeris?* & in citato loco; in quibus ut inſuetum refertur adhibitum idioma Hebraicum. Qua ratione id fecerit Paullus, inferius dicam. Nunc in Salmaſium, ejuſque aſſeclas, qui Hebræam pro Chaldæa lingua accipiunt, pauca animadvertam.

His ergo ut ſatisfaciam, aio, temerarium omnino eſſe Scripturæ verba aliorſum, atque poſita ſunt accipere. Quamobrem ſi Hebraicam linguam Paullum uſurpaſſe legimus, cur illam pro Syriaca, aut Chaldaica interpretari debemus? Numquid inter ſe non differunt? Licet enim genere quodam Hebraica Chaldaicam comprehendat, & multa Chaldaica verba ab Hebræis radicibus deriventur; proprie tamen Hebraicam a Chaldæa differre tum charactere, tum verbis, tum pronunciatione, liquet profecto apud omnes.

(1) *Act.Cap.I.v.16., & ſeq.* (2) *Ib.II.* 14., *& ſeq.* (3) *Ib. VII.* 2. (4) XXIV. 10. (5) XXVI. 2.

omnes. Ac primo charactere; nam alius eſt character Hebraicus, alius Chaldaicus. Loquor de antiquiore Hebraico, eo nempe, quem hodie Samaritanum appellamus; hodiernus enim Hebraicus, quo biblia exarata ſunt, Chaldaicus eſt. Chaldaico enim charactere Eſdras poſt Babylonenſem ſervitutem biblia conſcripsit. Secundo verbis; nam utraque lingua habet vocabula ſibi propria, & peculiaria; de quibus nonnulla proferuntur, veluti in Geneſi, idem fœderis altare a Labane, & Iacobo erectum, a primo (cui Chaldaicus ſermo erat vernaculus), Chaldaice יגר שהדותא *Iegar ſahadutha*, & a ſecundo (cui erat Hebraicus) Hebraice גלעד *Galaad* vocatum fuit. *Quem vocavit Laban Tumulum teſtis, & Iacob Acervum teſtimonii, uterque juxta proprietatem linguæ ſuæ* (1). Tertio demum pronunciatione, & ex modo flexionis verborum, & nominum, qui eſt omnino alius, ut ex grammaticarum Hebraicarum, & Syrarum diſcrepantibus regulis liquet. Credamus id Hieronymo, qui poſtquam Hebraicam linguam doctus eſt, vix dici poteſt, quantis laboribus Chaldaicum didicerit: unde inquit; *Qui mihi videbar ſciolus inter Hebræos, cœpi rurſus eſſe diſcipulus Chaldaicus; & ut verum fatear, uſque in præſentem diem, magis poſſum ſermonem Chaldai-*

(1) *Geneſis Capite XXXI. verſu 47.*

daicum legere, & interpetrari, quam ſonare (1). Certe quidem, ſi eadem eſſet Chaldaica, atque Hebræa, Hieronymus non coactus fuiſſet tanta devorare tædia, ut ipſum addiſceret. Ex his efficitur, ut qui Syræ, aut Chaldææ tantum ſtuduerat, Hebræam non intelligeret. Quod clare probat hiſtoria libri quarti Regum, ubi Rabſacem Hebraice, ſive Iudaice Hebræos alloquentem, & minantem rogant principes populi, ut loquatur Syriace, ne a populo intelligeretur; *Precamur ut loquaris nobis ſervis tuis Syriace: ſiquidem intelligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Judaice, audiente populo* (2). Et ſi Rabſaces Syriace locutus fuiſſet, a populo Hebraice loquente minime fuiſſet intellectus. Ieremias quoque Hebræis Chaldaicam ſervitutem vaticinans; *Ecce ego*, inquit, *adducam ſuper vos gentem de longinquo domus Iſrael, ait Dominus: gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem, cujus ignorabis linguam, nec intelliges, quid loquatur* (3). De eadem gente ait Iſaias; *In loquela enim labii, & lingua altera loquetur ad populum iſtum* (4). Sic quoque Baruch; *Adduxit enim ſuper illos gentem de longinquo, gentem improbam, & alterius linguæ* (5). His accedat Daniel, qui teſtatur

(1) *Hieronym. Præfat. ad Danielem.*
(2) *Reg. Lib. IV. Cap. XVIII. v. 26., & 27.*
(3) *Ierem. C. V. v. 15.* (4) *Iſaias C. XXVIII. v. 11.*
(5) *Baruch. in Capite IV. verſu 15.*

ſtatur Nabuchodonoſor pueros Hebræos literis, & lingua Chaldæorum erudiri juſſiſſe (1). Ecce tibi, Hebraicæ linguæ gnari Chaldaicam non intelligebant. Sic contra Chaldaica doctus non intelligit Hebræam, ut ex eodem Daniele conſtat; Hebraica verba מנא תקל פרש, quæ in pariete deſcripta apparuerunt Balthaſſar, neque legere potuit Chaldæus ullus, neque intelligere; *Tunc ingreſſi omnes ſapientes Regis non potuerunt nec ſcripturam legere, nec interpretationem indicare Regi* (2). Daniel utpote Hebræus facile perlegit. Nunc qua fronte Salmaſius Chaldaicam eamdem, atque Hebræam eſſe dicet, & ſola dialecto differre? Ac ſi Hebraica lingua Paullum locutum eſſe ſcribit Lucas, cur de Chaldaica, aut Syriaca intelliget Salmaſius? Hebraica tantum lingua uſus eſt Paullus, neque præter eam alia intelligenda eſt. Atqui ejuſmodi lingua a Babylonica ſervitute Iudæis vernacula eſſe deſiit, ut ſuperius demonſtratum eſt, & critici fere omnes, atque Salmaſius ipſe, conſentiunt. Hinc populus Paullum minime intelligebat: proindeque ruit Salmaſii argumentum fuiſſe linguam Chaldaicam tunc temporis Iudæis familiarem. Sed hæc facilia; illa non item, quæ Interpretes aut leviter tetigerunt, aut ſilentio præterierunt.

1. ſi He-

(1) *Daniel Cap. I.* (2) *Id. C. V. v.8., & ſeq.*

I. ſi Hebraice neſciebant Iudæi, cur Hebraice loquentem attentius audierunt? II. ſi vere Hebraice neſciebat populus, quo pacto eum Hebraica oratione ſedare adgreſſus eſt Paullus? Sed primo mirandum non eſt, ſi populus Hebraice neſciens, Hebraicum ſermonem audiens acquievit, animumque erexit; ſed potius admiranda Paulli prudentia, qui ad emolliendos homines erga ſe male animatos, ipſo ſtatim orationis initio omnium a ſe ſuſpicionem amolitus eſt. Putabant enim Iudæi gentilem eum eſſe, & templi profanatorem; quare turba omnis in eum concitata eſt. Ad quam interim cohibendam ſtatim Paullus & Iudæum ſe, & Iudaicarum legum conſultiſſimum probavit. Cumque Hebraica lingua maximo apud eos in honore eſſet, utpote qua primum ſcripti fuere libri ſancti, quaque Abraham, poſterique ejus Iſaac, Iacob, & duodecim Patriarchæ locuti ſunt; idcirco Hebraice eos affari cæpit. Iudæi contra, ut audierunt eum, quem advenam putabant tam facile Hebraica lingua exordiri, ea videlicet, quam vix Iudæorum doctiores intelligebant,

Conticuere omnes, intentique ora tenebant. Et quamvis nihil intelligerent, attentiores tamen facti ſunt exſpectantes, an eodem ſermone loqui pergeret. Sed poſt pauca, cum nihil intelligerent, orantem interpellarunt. Idque

Idque cauſſæ eſt, cur Paulli oratio in Actis non integra exſtet, ſed mutila, ut legenti patet. Ad ſecundum quod attinet, quo pacto ſperabat Paullus populum ignoto ſibi ſermone ſedatum iri? Reſpondemus ipſum non modo imam plebem, ſed etiam legis doctores, principes ſacerdotum, alioſque ætate, vel dignitate præſtantes, qui ex ſacris libris Hebraicam linguam hauſerunt, fuiſſe allocutum; ut vel ipſi Salmaſius, Grotius, Cornelius a Lapide, Tirinus, aliique interpretes fatentur (1). Et manifeſte patet ex ejuſdem orationis initio; *Viri fratres, & patres, audite*. *Fratres* vocavit imam plebem; primores vero populi *patres*. Hi quidem maxima apud plebem pollebant auctoritate, quod vel in una Chriſti cauſſa manifeſte liquet: in qua non aliter Redemptoris mortem, & Barabbæ dimiſſionem petierunt turbæ, niſi primoribus populi ſuadentibus, quod Matthæus (2), & Marcus teſtantur (3). En igitur, cur Paullus principibus populi ſatisfacere prudens maluit, idque noto eis ſermone, hoc eſt Hebraico. His enim ſi ſatisfeciſſet, cetera plebs procul dubio acquieviſſet, eumque liberum dimiſiſſet. Ceterum extra dubitationis aleam eſt Paullo, & Iudæis Græcam linguam fuiſſe vernaculam, ut ex eo-

L dem

(1) *Com. in Act. Apoſt. Cap. XXII. v. 1.*
(2) *Matthæus Capite XXVII. v. 20.*
(3) *Marcus Capite XV. verſu 11.*

dem loco patet, in quo Paullus Græce a Tribuno petiit, ut ſibi liceret plebem alloqui.

De Syriacis vocibus, quæ occurrunt in n. Teſtamento.

II. Secundo in Georgii Amiræ validiſſimam, ut ipſe putat, rationem inquirendum eſt (1). Ex novo, inquit, Teſtamento non modo Syriaco, ſed etiam Græco, & Latino manifeſtiſſime patet Chriſtum, & Apoſtolos Chaldaica, ſeu Syriaca verba uſurpaſſe. Namque ait Chriſtus apud Matthæum; *Qui dixerit fratri ſuo raca, reus erit in concilio*; quam quidem vocem Syriacam eſſe dicit Amira. Et apud eumdem alloquens turbas dixit; *Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ*, quod Syriacum eſt vocabulum. Inſuper volens Chriſtus appellare Simonem Petrum filium columbæ, Syriace, ut ipſe arbitratur, vocavit *Bar-jona*. Sic apud ipſum Matthæum habentur voces *corbona*, *golgotha*, *Eli*, *Eli*, *lamma ſabactani*. Apud Marcum habetur vox *Boanerges*, *talitha cumi*, nec non vox *ephphetha*, *abba*. Apud Ioannem inſuper *Cephas*, & *Bethſaida*. Atque apud omnes Evangeliſtas habetur vox *paſcha*. In Actis prætereа leguntur verba *Hacel-dama*, *Saphira*, & *Tabitha*. Ac denique in epiſtola prima ad Corinthios occurrit vox *Maran-atha*: quæ voces tum a Chriſto, tum ab Apoſtolis, & Evangeliſtis adhibitæ, cum ſint omnes Chaldaicæ, aut Syriacæ, ut ait Amira, pro-

(1) *Amira in Præl. Gram. Syr. de ling. Syr. dignit.*

probare videntur illos Chaldaicam potius, quam Græcam linguam uſurpaſſe. Confirmant id Amira, & adverſarii ex Actuum Apoſtolorum loco, ubi legitur poſſeſſionem illam ex Chriſti venditionis pecunia emptam fuiſſe *Hacel-dama* vocatam; quod quidem nomen dicitur impoſitum lingua habitantium Ierusalem; *Et notum factum eſt omnibus habitantibus Ieruſalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama, hoc eſt ager ſanguinis* (1). Sed *Hacel-dama* Chaldaicæ voces ſunt, lingua igitur habitantium Ieruſalem, atque univerſæ illius regionis Chaldaica quoque fuit.

Sed prior ratio, ſi quid valet, non aliud ſane probat, quam Chriſtum, & Apoſtolos Chaldaica verba interdum uſurpaſſe, quod non negamus; ſed non inde tamen conſequitur fuiſſe ipſis Chaldaicam linguam vernaculam. Vt enim ſupra oſtendimus, Chriſtus, Apoſtoli, ac ceteri Iudæi Helleniſtica lingua utebantur. Quid autem eſt Helleniſtica, niſi ibrida lingua, nempe Græcum idioma, quod Hebraicas, Chaldaicaſque voces habet admixtas? Idem ipſum nimirum, quo ſcripti ſunt libri Machabæorum, novum Teſtamentum, & verſio LXX interpretum. Nil ergo mirum ſi in hujuſmodi li-

 bris

(1) *Act. Apoſtolorum Capite I. verſu 19.*

bris Hebraicæ, & Chaldaicæ voces ſubinde occurrant. Ad hæc non omnino Syriacæ ſunt hujuſmodi voces, ut credit Amira, ſed partim Græcæ, partim Hebraicæ, partim mixtæ. Ac primo *raca* Græca eſt (1) ab Homero, Demoſthene, Galeno, aliiſque Græcis ſcriptoribus varie frequentata. Præſertim τὸ ῥάκος ῥάκεος (quod pro *ſordido*, ac *vili* accipitur) uſurpatur ab Ariſtophane, & Luciano. Ejuſdem nominis Iudæi corrupto plurali τὰ ῥάκεα, fecerunt ῥάκα, quod interpretandum arbitror *vile*, ac *ſordidum*. Vox הפתח *ephphetha* Hebraica eſt, ab radice פתח *aperuit*. Hebraica eſt קרבן *corban*, cujus radix eſt קרב *offerre*. Hebraicæ ſunt טליתא קומי *talitha cumi*, ut bene monet Hieronymus (2). Et voces בר־יונה *Bar-jona* ſunt mixtæ: בר *bar* enim Syriaca eſt, ſignificans *filius*; יונה *jona* vero tum Hebræis, tum Syris communis. Quæ quidem omnia, cum Amiræ argumentum omnino labefactant; tum ſententiam noſtram, qua dicimus fuiſſe Chriſto, Apoſtolis, & Iudæis Helleniſticam linguam vernaculam, Hebraicam vero, & Chaldaicam peregrinam, magnopere confirmant. Nam licet Iudæi Hebraica tunc, & Chaldæa uſurparent vocabula, eorum tamen ſenſus, ac pot-

(1) *V. Auguſt. Lib. 1. de Serm. Dom.*
(2) *Hieron. ad Pammach. de opt. gen. interpr.*

poteſtas in dies obſoleſcebat. Atque inde factum eſt, ut quotieſcunque Hebraica, aut Chaldaica vox in novo Teſtamento occurrat, plerumque Græca ſubjiciatur interpretatio. Sic apud Matthæum; *Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus* (1); *Eli, Eli, lamma ſabactani; hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* (2). Item apud Marcum; *Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge* (3); & alibi. Quod quidem non feciſſent Evangeliſtæ, ſi vere ſermo Chaldæus, aut Hebræus ipſis fuiſſet vernaculus.

Alteri vero difficultati eadem ratione occurrimus. Nam verba illa *Hacel-dama*, etſi proprie Chaldaica ſunt, in eadem tamen lingua Helleniſtica locum habebant. Iudæi enim, qui primum Hebraice, tum Chaldaice locuti ſunt, novam linguam ab Alexandri ſucceſſoribus aſciſcentes, plurimas ex utraque lingua voces retinuere; eaſque Apoſtolorum ævo, licet Græce loquerentur, etiamtum uſurpabant tamquam patrias, ac vernaculas. Neque id Iudæis tantum, ſed cunctis fere gentibus novum idioma excipientibus uſuvenit. Angli, ut exempli cauſſa aliqua ponatur, qui olim Saxonicum uſurparunt idioma, licet multis ante ſæculis illud reſpuerint, nihilominus bene adhuc mul-

 tas

(1) *Matth.I.* 23. (2) *Id.XXVII.* 46. (3) *Marc.V.*41.

tas veteres Saxonum voces ſervant; velut *ſunna ſol*, quam *ſun* pronunciant; *mona luna*, *moon* dicta; *beo apis*, *bee* nuncupata; *mode animi diſpoſitio*, *mood* dicta: & ſexcentas hujuſmodi alias. Sic mere Saxones ſunt *God Deus*, *man homo*, *he ipſe*, *bed cubile*, & aliæ innumerabiles, quas ſic utendo ſuas fecerunt Angli, ut nonniſi Anglicæ modo voces nominentur, ac ſint. Nomina inſuper provinciarum, urbium, atque etiam familiarum omnia Saxonica ſunt, Neapoli vero decimum jam fere eſt ſæculum ex quo Græca lingua vernacula eſſe deſiit, nihilominus nonnulla adhuc Græca vocabula retinemus. Cujuſmodi ſunt *vallana caſtanea cocta*, a voce βάλανος; *vaſtaſo bajulus* a βαςάζω *fero*; *ſtrummulo turbo* a στρόβιλος; *catapano* a κατὰ πὰν *ſuper omne*; *nfenocchiare* a φενακίζω *decipere*; *ſmorfia ab* ἀμορφία *forma indecora*; *centrella aculeus* a κέντρον; *chiaſeo*, a γναφεὺς, quod eſt *fullo* &c. Idem dicas licet de eadem Græca lingua apud Brutios, & Siculos; de Latina apud Italos, Gallos, & Hiſpanos. Si hæc igitur de Anglis, & Neapolitanis, apud quos tot abhinc ſæculis Saxonicæ, & Græcæ linguæ facta jactura eſt; quid de Iudaica ejus temporis gente dicemus, quæ duobus ante ſæculis Chaldaice adhuc loquebatur? Innumeras ſane nedum Chaldæas, ſed Hebræas locutiones

Digitized by Google

nes, voces, idiotiſmos ſervare debuit, eaſque tanquam patrias, & familiares uſurpare. Eo vel magis quod Helleniſtica dialectus, quam vernaculam Iudæis fuiſſe probavimus, ſic neceſſario hujuſmodi voces admixtas habet, ut iis ſublatis, jam nulla prope remaneat. Quare ſi quis dicat *gabbatha*, *Bethſaida*, *Hacel-dama*, *rabbi*, *oſanna*, Helleniſticas voces fuiſſe, recte dicit; ſiquidem dialectus hæc innumeris his vocibus ſcatet; & libri omnes novi Teſtamenti, libri Machabæorum, & verſio LXX interpretum, qui hac ipſa dialecto ſcripti ſunt, eas tertio quoque verbo adhibent. Ac proinde ſi *Hacel-dama* vocatus dicebatur lingua habitantium Ieruſalem nihil ſane nobis incommodat, nec ſententiam de Iudæorum Helleniſmo quovis modo labefactat.

III. Nunc expendamus ambigua quædam Ioſephi loca, quæ noſtræ huic ſententiæ videntur obſtare. Ac primum in proœmio antiquitatum ait ipſe Iudaicas origines ex Hebraicis libris in Græcorum gratiam Græce vertere, ac ſcribere aggreſſum fuiſſe: tum addit; *Χρόνου δὲ προϊόντος, ὅπερ φιλεῖ τοῖς μεγάλων ἅπτεσθαι διανοουμένοις, ὄκνος μοι καὶ μέλλησις ἐγίνετο τηλικαύτην μετενεγκεῖν ὑπόθεσιν εἰς ἀλλοδαπὴν ἡμῖν καὶ ξένης διαλέκτου συνήθειαν.* Hoc eſt, ut vertit Hudſon; *Procedente dein tempore, ſicut uſu venit iis, qui*

Explicatur Ioſephus in proœmio, & in fine antiquitatum.

res arduas aggrediuntur , cunctatio quædam ac ſegnities mihi inceſſit , tantam materiam in alienam & peregrinam linguam traducturo (1) . Præterea in fine librorum de antiquitatibus hæc habet ; Καὶ τῶν Ἑλληνικῶν δὲ γραμμάτων ἐσπȣδασα μεταςχεῖν , τὴν γραμματικὴν ἐμπειρίαν ἀναλαβὼν , τὴν δὲ περὶ τὴν προφορὰν ἀκρίβειαν πάτριος ἐκώλυσε συνήθεια; *Græcarum etiam literarum ſtudio , poſtquam Grammatices elementa didiciſſem , memet addixi , quamvis exquiſitam pronunciandi rationem aſſequi per patriam conſuetudinem mihi non licuit* (2). Quæ verba videntur conficere Græcam linguam Ioſepho, qui Hieroſolymitanus fuit, ξένην, ϗ ἀλλοδαπὴν fuiſſe, non autem vernaculam.

At nihil eſt, cui reſpondere tam facile poſſumus. Ac primo , difficultas iiſdem Ioſephi verbis plane diluitur . Is enim non dicit μετενεγκεῖν ξένης γλώττης , ſed ξένης διαλέκτȣ, quam vocem interpres perperam vertit *in alienam linguam* . Διάλεκτος enim id proprie indicat , quod unaquæque lingua peculiare habet , & a ceteris diſtinctum , ſive linguæ alicujus proprietatem . Ioſeph autem non Græcam linguam univerſe , ſed eam ſpeciatim dialectum , quam aggreſſus eſt, ſibi ξένην fuiſſe affirmat. Atque id ex eodem Ioſepho

(1) *Ioſephus in proœm. antiq. pag. 2. §. 2.*
(2) *Idem in fine libr. antiq. pag. 982.*

ſepho plane conſtat: nam alibi hoc ipſum repetens, ait; Καὶ γὰρ εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἱϛορίας, πρὸς τοὺς ἐπιζητήσοντας τὶ τῶν πραγμάτων ἢ μεμψομένους ἠσφαλισάμην, μόνον τε μεταφράζειν τὰς Ἑβραίων βίβλους εἰπὼν εἰς τὴν Ἑλληνίδα γλῶτταν; *Nam ſtatim ab initio bujus hiſtoriæ contra eos qui in rebus* narratis *deſiderabunt quidpiam, vel expoſtulabunt, a me præcautum eſt, aſſeverando quod Hebræorum ſolum libros in Græcam linguam reddam* (1). Hic vero ubi adhibet auctor vocem γλῶτταν *linguam* non eam alienam ſibi nominat, quemadmodum de cultiori dialecto, qua uſus eſt affirmavit ſuperius. Nam dialectus Ioſepho vernacula, quippe qui Hieroſolymitanus erat, ut toties dictum eſt, fuit Helleniſtica, ſeu Græco-barbara, quæ & phraſi, & elocutione a reliquis Græciæ dialectis magis diſtabat, quam hodierna Brutiorum ab Hetruſca, Vaſcona a Pariſienſi, Wallia a Londinenſi, Luſitana ab Hiſpanica. Dialectus hæc Ioſepho vernacula, qua ceteri Iudæi in ſcribendo utebantur, impolita nimis videbatur eidem Ioſepho. Et quanquam deinceps exemplaria Græca diuturna manu verſaverit, tamen Græcæ linguæ nativas illas veneres non adeo affectari poterat, ut qui in ipſius Græciæ ſinu nati, atque educati erant. Et ſane ſi gentis ſuæ hiſtoriam ſcribere

(1) *Ioſephus in Lib. X. Cap. X. p. 536. §. 6. Antiq.*

bere velit Siculus eadem dialecto, & elegantia, qua Italiæ hiſtoriam conſcripſit Franciſcus Guicciardinus patria Florentinus, quantus ſuſcipiendus ipſi labor eſſet? quanto ſtudio, quanta cura enitendum? Atque id ipſum faciendum Ioſepho fuit, ut aureum illud opus patriarum originum probabiliore, ac nitidiore ſtilo deſcriberet, qui etiam in ipſa Græca lingua adjutum ſe aliorum opera non diffitetur. His quoque accedebat argumenti prolixitas, geſtarum rerum varietas, & inter Romanos ſcribere, qui Iudæorum res, & ſcriptores facile aſpernabantur, quæ non parum remorari debebant ſcribentem in peregrina dialecto. Quamobrem ipſi non Græca quidem profecto lingua, ſed peregrina dialectus magno conſtitit. Atque his animadverſis expedita jam prope eſt alterius nodi ſolutio; Ioſeph enim grammaticæ ſtuduit, non quod Græca lingua aliena ipſi eſſet; ſed ut rectam, probamque ſcribendi ſibi facultatem compararet. Grammaticis enim, ut omnes ſciunt, tam peregrini dant operam, quam vernaculi ipſi; illi ut ſermonem non ſuum diſcant; hi ut hunc ipſum, quem adhibent, adhibere recte, & ex præſcripto poſſint. Numquid Itali, Galli, Angli, Germani, Batavi, Iberi ſi recte vernacule loqui velint, non grammaticas inſtitutiones pervolutant? Omnes utique

utique: maxime ſi patria dialectus non adeo pura putaque ſit. Quid ergo mirum, ſi Ioſeph Græcæ grammaticæ ſtuduit? Siquidem patria ejus dialectus ſolœciſmis ſcatebat, atque inconditis vocibus. Multoque minus mirandum eſt, ſi exquiſitam pronunciandi rationem per patriam conſuetudinem aſſequi non potuit. Etenim, ut modo dicto exemplo utar, Siculus etſi Italice loquatur, & Hetruſcam dialectum grammaticarum, & elegantiorum ſcriptorum ſibi ſtudio comparet, nunquam tamen exquiſitam illam pronunciationem Senenſem obtinebit. Ita quoque Iudæi, qui Hebraica olim, & Chaldaica loquendi conſuetudine uſi, etiam Græca lingua ſuſcepta, avitam pronunciationem retinuerunt, collidentes verba in gutture, ut modo faciunt Arabes. Aſſuetus igitur Ioſeph hujuſmodi pronunciationi, quoniam propriis viribus, & nullo docente ad grammaticæ ſtudium connixus eſt, non poterat certe exquiſitam pronunciandi rationem adſequi, ad quam ſine viva præceptoris voce, aut diuturna cum politioribus Græcis conſuetudine vix, ac ne vix quidem perveniebatur.

Cur Ioſeph libros de bello Chaldaice ſcripſerit.

IV. Sed nec incommodat, quod Simonius ex eodem Ioſepho objicit; *Ioſephe, qui étoit Iuif de Ieruſalem, & qui nous aſſûre qu'avant que de publier en Grec ſon Hiſtoire de la Guerre des Iuifs, il l'avoit*

écrite

écrite [illegible] *la langue Caldaïque, qu' il nomme la l*[illegible] *de ſon pays* (1). Ex quo colligit Chaldaicam linguam vernaculam fuiſſe in Iudæa.

Atqui hæc ex ipſius Ioſephi verbis diluuntur. Verba ejus initio belli Iudaici hæc ſunt; Πρȣ̓θέμην ἐγὼ τοῖς κατὰ τὴν Ρωμαίων ἡγεμονίαν, Ἑλλάδι γλώσσῃ μεταβαλὼν, ἃ τοῖς ἄνω βαρβάροις τῇ πατρίῳ συντάξας ἀνέπεμψα πρότερον, ἀφηγήσασθαι (2). Quem locum ita interpretatur clariſſimus Ioannes Hudſon. *Idcirco ego propoſui, quæ mediterraneis Barbaris jam ante miſeram patria lingua conſcripta, nunc Græce verſa in gratiam illorum qui ſub Romano degunt imperio, eadem narrare.* Vertens verba τοῖς ἄνω βαρβάροις *mediterraneis Barbaris*, quales Babylonii, Aſſyrii, trans-Euphratenſes erant Iudæi; hoc eſt, ut verbo abſolvam, ſuperioris continentis incolas, ut recte exponunt locum hunc Voſſius (3), Spanhemius, Aldrichius (4), aliique. Quid inſuper ſub verbis τοῖς ἄνω βαρβάροις, quaſve gentes intelligat Ioſephus, ipſe paucis interiectis verbis apertiſſime exponit: nempe Parthos, Babylonios, Arabum remotiſſimos, Iudæos trans-Euphratenſes; Πάρθους, καὶ Βαβυλωνίους, Αραβων τε τοὺς ποῤῥωτάτω

(1) *Simon Hiſt. critiq. du n. T. p.* 70.
(2) *Ioſeph in proœm. de Bel. p.* 47. 48.
(3) *Voſſius de Sybill. orac. p.* 374.
(4) *Spanhemius, Aldrichius in not. ad Ioſ. ibid.*

τω, καὶ τὸ ὑπὲρ Εὐφράτην ὁμόφυλον ἡμῖν. Dicit ergo Ioſeph ſeſe antequam bellum Iudaicum Græco ſermone ſcriberet, eamdem hiſtoriam patria, ideſt Chaldaica tradidiſſe lingua in uſum barbarorum Iudæorum, qui extra fines Romani imperii trans-Euphratem vivebant, utpote qui excuſſo jamdudum Græcorum jugo, avitam fere conſervaſſent linguam. Neque enim in regione trans-Euphratenſi tam altas Græcorum principatus egerat radices, ut etiam eorum ibi lingua propagaretur. Aperit Ioſephus ipſe cauſſam, cur id fecerit: ſcripſit primum hiſtoriam illam Chaldaice Iudæis trans-Euphratenſibus, ut nempe cognoſcerent, quanta mala Iudæos Hieroſolymitanos oppreſſiſſent; eamdem hiſtoriam Græce vertit in gratiam Iudæorum, qui ſub Romano imperio degebant, hoc eſt, qui Palæſtinam incolebant. Simonius contra voces τοῖς ἄνω pro temporis adverbio ſumit, ita ut τοῖς ἄνω βαρβάροις verti debeat *barbaris ſuperioris temporis*: ſed fallitur. Nam licet ἄνω tam pro temporis adverbio, quod ſignificat *ante*, *retro*; quam pro adverbio loci, quod valet *ſuperius*, ſive *loci ſuperioris* ſumi poſſit; heic tamen pro loci adverbio accipiendum neceſſario eſt. Ait enim auctor ſe hiſtoriam illam Græce ſcripſiſſe pro Iudæis, qui ſub Romanorum imperio degebant, quibus opponit Iudæos morantes extra imperii

perii fines, in quorum uſum hiſtoriam primo ediderat Chaldaice. Aliter ſi ἄνω pro temporis adverbio ſumas, & τοῖς ἄνω βαρβάροις vertes pro *Iudæis retro barbaris*, ſignificaret Ioſephum ſcripſiſſe hiſtoriam pro illis Iudæis, qui retro fuerunt barbari, ita ut in uſum jam defunctorum illam condiderit, quod ridiculum eſt. Locus igitur ipſe noſtræ potius, quam Simonianæ favet ſententiæ.

Excutitur Ioſephus, qui Iudæos alloquens Ἑβραΐζει.

V. Ac tandem explicandus ſupereſt alius Ioſephi locus libri VI. de bello Iudaico, quem licet nullus adverſariorum allegaverit, attamen religio mihi eſt præterire. Ibi ergo expoſiturus quemadmodum Titi imperio Ioanni, & Iudæis deditionem ſuaſerit, hæc habet; Καὶ ὁ Ἰώσηπος, ὡς ἂν εἰ μὴ τῷ Ἰωάννῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς πολλοῖς, ἐν ἐπηκόῳ στὰς, τάτε τοῦ Καίσαρος διηγγειλεν Ἑβραΐζων, καὶ πολλὰ προσηντιβόλει (1). Quem locum ſic verterunt interpretes, & præſertim Ioannes Hudſon; *Atque Ioſephus, quaſi non ſoli Ioanni, ſed etiam pluribus (cum conſtitiſſet, unde exaudiri poſſet) quæque ipſi in mandatis dederat Cæſar Hebraice nunciavit, multiſque eos precabatur*. Hic interpretes verbum Ἑβραΐζων reddiderunt *Hebraice*, ſive *Hebraica lingua*; omnino, ut mihi videntur, perperam. Etenim Ἑβραΐζειν non ſolum dicitur, qui Hebraice loquitur, ſed

(1) *Ioſeph de Bello Lib. VI. Cap. II. §. 1. p. 374.*

ſed etiam, qui ab Hebræorum partibus ſtat, quique Hebræos ſtudio exprimit, refert, effingit; non ſecus ac Ἰουδαΐζειν, quod non modo Iudaice loqui indicat, verum etiam Iudaicam religionem ſectari, ſtare a partibus Iudæorum; Ἑλληνίζειν eſt & Græce ſermocinari, & Græcorum modo vivere, Græcum ſe oſtendere; Ῥωμαΐζειν Romanam linguam uſurpare, eorumque partes ſequi; ſic quoque Περσίζειν, Μηδίζειν, Σικελίζειν, ξενίζειν, & alia hujuſmodi ſexcenta. Nunc illud eſt a nobis quærendum, an Ἑβραΐζειν hoc loco pro *Hebraice loqui* accipiendum ſit, an vero pro *Hebræis favere*, *Hebræum referre*. Mihi quidem Ioſephi locum accurate expendenti videtur vox illa poſteriore ſignificatione accipienda eſſe; quod multa perſuadent. Ioſephus enim, ut ad Romanorum amicitiam ſeſe adjunxit, maximoque in honore eſſe cœpit apud Veſpaſianum, & Titum, in tantum Hebræorum odium incidit, qui eum pro patriæ proditore habebant; ut ipſemet in ejus vita hæc de ſe ſcripſerit; Κἀκεῖθεν ἐπὶ τὴν Ἱεροσολύμων πολιορκίαν συμπεμφθεὶς Τίτῳ, πολλάκις ἀποθανεῖν ἐκινδύνευσα, τῶν τε Ἰουδαίων διὰ σπουδῆς ἐχόντων ὑποχείριόν με λαβεῖν τιμωρίας ἕνεκεν; *Illinc quoque* (puta Alexandria) *una cum Tito miſſus ad Hieroſolymorum obſidionem, non ſemel de vita periclitatus ſum; & Iudæis modis omni-*

bus

bus id agentibus ut me in poteſtatem ſuam redigerent, quo me ſupplicio afficerent (1). Obſeſſa autem Hieroſolyma, Titus cum tanta ſibi de urbe, ac templo prædicari audiret, putavit glorioſius ſibi ad famam futurum, ſi omne de iis abjiceret ſolo æquandis, diruendiſque conſilium. Quapropter advocato Ioſepho, præcepit ei, ut hortaretur Iudæos ad deditionem, utque patriæ parcerent, ne una ſecum urbs, & templum caderent. Sed quo pacto ſuadere Ioſeph hæc poterat Hebræis, quibus ſuſpecta erat ejus fides? Quique eum proditoris loco habebant? Hinc ad comparandam verbis ſuis fidem, neceſſe fuit ut Ἑβραΐζῃ, ideſt ut Hebræorum ſtudioſum ſe oſtenderet; quod in eadem concione palam profeſſus eſt Ioanni ſeditioſorum duci; *At memento quod popularis qui ſum te moneam, Iudæuſque iſta promittam . . . . . Abſit enim unquam me ita captivum vivere, ut genus in memoria tenere deſinam, aut eorum quæ a patria mea ſint, obliviſcar, &c.* Hæc igitur omnia fecit Ioſephus, quia Titi mandatis nunciandis ab Hebræis ipſis etiamtum ſe patriæ amantem, deque ejus incolumitate ſollicitum credi volebat, quaſi illa non tam ad Romanorum, quam ad ſuæ gentis utilitatem ſuaderet. Atque hoc ſenſu acceptum Ἑβρα-

(1) *Ioſeph in ejus Vita T. II.* §. 75. *p.* 38.

Ε'βραΐζειν optime in rem Ioſephi cadebat. Neque aliter vocem illam accipiendam eſſe cenſeo.

VI. Nolo hic ſilentio præterire, quæ mihi ante hos paucos dies vir doctus contra Chriſti, & Iudæorum Helleniſmum objiciebat. Innumerabiles prope, ajebat, libri ſunt circiter Chriſti ætatem a Rabbinis conſcripti, & quidem in Palæſtina, qui non aliter, quam Chaldaice loquuntur; velut ſunt paraphraſes Ionathan, & Onkelos, Miſchna, & Gemara Hieroſolymitana, aliique. Qui id tacite dicere videntur, non quidem Græcam, ſed Chaldaicam linguam illa ætate in Iudæa viguiſſe.

De libris Rabbinorum.

Fateor ita ſe rem habere, ſi Rabbinos audiamus; aut eos, qui a ſycophantis iſtis toti pendent, qui libros hoſce velut antiquiſſimos nobis venditant. Sed diu eſt, cum Rabbinorum ineptias detexerunt naſuti homines, veluti Ioannes Marſhamus, Paullus Pesron, Iſaacus Voſſius, aliique doctiſſimi viri, inter quos eminet eruditiſſimus Ioannes Morinus, qui in poſteriori Exercitationum biblicarum parte ſingulos hos libros ad examen revocans, fuſe probat Rabbinos nullum procudiſſe commentarium aut in ſacram Scripturam, aut in traditiones ſuas, quod primis quinque Chriſtianæ æræ ſæculis non poſterius ſit; nec hiſtoricum li-

brum anno Chriſti milleſimo antiquiorem: adeo ut Miſchna ipſa Hieroſolymitana circiter Iuſtiniani ævum digeſta fuerit; Gemara item Hieroſolymitana poſt annum DC. a Chriſti nativitate; paraphraſes vero Chaldaicas, ſive Ionathan, ſive Onkelos, quas jactant Rabbini ante Chriſtum, aut ſtatim poſt ipſius mortem editas, Thalmude Hieroſolymitano inferiores eſſe oſtendit; neque aliter dicendum eſt de paraphraſi Hieroſolymitana, & anonyma; *Seder olam Rabba* librum hiſtoricum, quem Iudæi antiquiſſimum faciunt trecentis annis, & ultra Thalmude poſteriorem; Ioſippum Hebraicum ante annos circiter ſexcentos a Iudæo compoſitum evicit. Siquidem nemo hos libros antiquorum ſcriptorum memorat; non Hebraicæ antiquitatis promus ille condus Ioſephus Flavius, non Origenes, non Epiphanius, licet ſæpe traditionum Iudaicarum varia genera recenſeant, & Rabbinorum; nec de illis quidquam reſcivit Hieronymus a Barrabano Tyberienſi, & Lyddæo; quinimo diſerte ſcribit Auguſtinus nullum ejuſmodi librum apud Iudæos exstare. Ac præterea, cum in prædictis voluminibus ſæpe occurrant vocabula Perſica, Arabica, Babylonica, & alia, quæ Gothicam barbariem olent, & memoretur Conſtantinopolis, & Turcarum nomen; perſpicuum eſt, Rabbinos fumum vendere

dere, dum iſtorum librorum vetuſtatem prædicant. Iam quis erit, qui hujuſmodi Rabbinorum quiſquiliis fidem habebit, libroſque illos circa Chriſti tempora fuiſſe exaratos putabit? Contra certo ſcimus, auctores Machabæorum, Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem, Paullum, Petrum, Iacobum, Ioſephum Flavium, ceteroſque Iudæos, qui Græce ſcripſerunt, & ante, & paullo poſt Chriſti tempora claruiſſe; neque de eo adhuc quiſquam dubitavit. Sic ſi ſequioris ævi ſcriptores ſpectes, qui in Iudæa, ac finitimis locis orti ſunt, Græce omnes ſcripſiſſe invenies, veluti Iuſtinum martyrem, Symmachum, Euſebium Cæſarienſem, Cyrillum Hieroſolymitanum, Ioannem Climacum, Sophronium, Heſychium, Ioannem Moſchum ceteroſque alios. Quæ cum ita ſint, fidenter affirmo, nullum Chaldaicum librum ante ſeptimum Chriſtianum ſæculum in lucem prodiiſſe. Nihil enim ante illud tempus tam ſingulare accidit in Oriente, quod Græcam linguam ab Alexandro, & ſucceſſoribus ejus propagatam, aut Græce ſcribendi morem immutarit. Primus quidem in Oriente Helleniſmum nonnihil turbavit Choſroes I. Perſarum Rex vulgo Magnus nuncupatus, qui ſmperante Iuſtiniano, ſtimulatus invidia, quod Africæ, atque Aſiæ ditionem Romani tenerent, eorum fines invadens non parvas

 vi-

victorias conſecutus eſt, præſertim in Syria, de quibus plura habes apud Procopium, (1) & Theophilactum (2). Tum vero Choſroes II. Horſmidæ filius, qui inito VII. ſæculo Armeniæ, Syriæ, ac Iudææ regiones armis invaſit, Hieroſolymam diripuit, vaſtavitque Palæſtinam (3). Ac demum ſubſecuti ſunt Arabes, qui circa Chriſti annum DCXXXVI erumpentes e deſertis, Perſas, & Græcos ex Aſia, atque Africa expulerunt, Iudæamque, Ægyptum, & Meſopotamiam belli jure occuparunt (4). Neque vero omittendus eſt celebris ille Alwalid ebn Abdolmelec Arabum Calipha XIII: qui Chriſtianorum ſcriptores in Syria non Græce, ſed Arabice poſthac libros exarare iuſſit, auctor eſt Gregorius Abul-Pharajus (5). Hi ergo, ut ſupra dictum eſt, ſi ſuam domitis gentibus linguam omnino non indiderunt; Græcam tamen linguam, & literaturam in Oriente ita profligarunt, ut nova apud eas orta ſint idiomata. Hinc in Syria ex Perſicæ, Arabicæ, & Græcæ linguæ commixtione tertia nata eſt, quæ Syriaca moderna appellatur, ſive *Aramea*. In Ægypto autem Græca, quæ

(1) *Procopius Cæſarienſ. Lib. II. de bello Perſico.*
(2) *Theophilactus Simocat. Lib. IV, & V. Hiſtoriar.*
(3) *Evagrius Lib.VI.Hiſt.a Cap.XVIII.uſque ad finem. Theophanes in Chron. p. 197. & ſeq. ed. Ven.*
(4) *Abul-Pharajus in Dyn.IX.T.I.p.159.ad 179.II.p.100. Chronicon Oriental. de Moslaminor. imperio p. 41.*
(5) *Tom. I. p. 201. T. II. p. 129. ex edit. Pocock.*

quæ ibi vernacula erat, cum Araba mixta ad Copticum ſermonem deflexit. In Iudæa tandem orta eſt dialectus illa. Rabbinica nuncupata, ſive Chaldaico-Syra, quæ plurimas Græcorum, Latinorum, Perſarum atque Arabum voces admixtas habet, qua nempe conſcripta fuit Gemara Hieroſolymitana. Quadere poſt illud tempus Rabbi Iudas ſanctus nuncupatus Miſchnam compoſuit; Miſchnam ſecutæ ſunt Gemara Hieroſolymitana, & Targumin; inde ingens illa Rabbinorum librorum turba. Atque hinc eſt, cur in his libris innumeræ offendantur voces Perſicæ, Arabæ, & Græcæ. Quæ quidem obſcuriſſimos reddiderunt libros illos, & præſertim Gemaram Hieroſolymitanam, quæ adeo his vocibus ſcatet, ut nullus poſt tot ſæcula ſive Hebræus, ſive Chriſtianus vir eam interpretari auſus ſit. Sed hic labor, quæque laborem conſecuta eſt immortalis ſane laus manebat clariſſimum virum Blaſium Vgolinum Venetum, qui nonnullos Gemaræ tractatus nunc primum Latina interpretatione donavit, eoſque in ſuo Antiquitatum Hebraicarum numquam interituro Theſauro inſeruit. Hæ ſunt igitur, quas refutatione dignas cenſui, objectiones. Ceterum ſi quæ ſint id genus aliæ, doctorum judicium exſpectabo.

APPENDIX.

Quo pacto nonnulli ſacræ philologiæ nodi hujus ſyſtematis ope facile diſſolvantur.

EQuidem, niſi mea me fallit opinio, videor mihi ſatis jam probaſſe, jam inde ab Machabæorum ævo in Iudæa non Hebraicam linguam, Syramve, aut Latinam, ſed unam Helleniſticam in uſu fuiſſe, eamque Chriſto Domino, Apoſtolis, ac Iudæis omnibus fuiſſe vernaculam. Quæ ſi vera ſunt, quod non dubito, jam nullo negotio eorum ope plurimos ſacræ criticæ nodos diſſolvere quiſque per ſeſe poſſit. Specimen ipſe eorum hoc loco exhibebo.

De Matthæi, & Marci Evangeliis. I. Ac primo diu, multumque ab eruditis viris ſuper Matthæi Evangelio diſputatum eſt, qua nempe lingua conſcriptum primitus fuerit, Chaldaicane, an, quemadmodum ceteri novi Teſtamenti libri ſcripti reperiuntur, Græca. Recentiores critici, re ſerio perpenſa, Helleniſtice illud exaratum his rationibus niſi docuerunt. 1. Quod Græcum opus originalis potius, quam verſionis a Chaldæo codice, ſigna præfert. Nam Chaldæa nonnulla verba, quæ ibi inſerta ſunt,

Græ-

Græca interpretatione donantur; veluti *Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus* (1). *Eli, Eli, lamma ſabaƈtani; hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* (2). Quod ſi a Chaldæo fuiſſet totum illud opus redditum, non erat, cur hæc tantum verba originaliter retineret interpres, aliis omnino æque notabilibus omiſſis. II. Quod Scripturæ teſtimonia non ab Hebraico textu, ſed a LXX. interpretum verſione laudantur. III. Quia ſi Chaldaice fuiſſet conſcriptum, oblivioni traditus omnino non eſſet Chaldaicus codex. IV. Quia veteres ipſi patres, etſi autographum Chaldaice ſcriptum dicunt, illudque laudibus exornant; attamen ſecum ipſi non conſtant. Namque id Græco huic exemplari poſtponunt; adeo ut cum de corrigendis libris novi Teſtamenti, ſive Damaſi juſſu vertendo Evangelio ageretur, Chaldaico archetypo neglecto, ad Græcum unum exemplar confugerit Hieronymus. V. Quod majus eſt, quia Evangelium Græce exaratum in Barnabæ Apoſtoli ſepulcro repertum eſt in Cypro; illudque Zeno Imperator repoſuit in palatio in æde S. Stephani in Daphne, quod deinceps quotannis Conſtantinopoli feria V. paſchæ legi ſolitum fuit (3). At contra

 ma-

(1) *Matthæus Cap. I. 23.* (2) *Cap. XXVII. 46.*
(3) *Theodorus Lector initio Lib. II. Hiſt. n. 2. Suidas in Θύϊρα. Cedrenus, aliique.*

major doctorum virorum pars, cui perſuaſum erat, Hebræos Palæſtinos, in quorum gratiam ſcripſit Matthæus, Chaldaice locutos, maluit difficultatibus tot, tantiſque obrui, quam manum dare. At ſi Chaldaice, non Græce ſcripſit Matthæus; quorſum Græcum in Barnabæ pectore Evangelium repertum eſt? Clariſſimus noſtrorum temporum, noſtræque civitatis decus Mazochius, ita rem componit: ait enim; *Certe Græcum, non Hebraicum, ſeu Syriacum Evangelium a Matthæo Barnabam accepiſſe, inventio Barnabæ cum Græco Evangelio arguit. Quorſum hæc? Nempe quia ſuſpicor, Matthæum, etſi principio Evangelium Hebraice in uſum Iudæorum χριςιανιζόντων conſcripſerit, eumdem poſtmodum illud ipſum in Græcum transfudiſſe, in eorum Apoſtolorum uſum, qui gentilibus Evangelium annuntiaturi eſſent* (1). Sed ingenioſa hæc conjectura, quæ contrariam opinionem quodammodo fulcit, & ipſa cadit; quippe quæ nulla ratione, nullo teſtimonio nititur. Nunc autem, revocata velut poſtliminio in Iudæam Græca lingua, omnia in aperto ſunt, claretque librum hunc Helleniſtica lingua, qua vulgo utebantur Iudæi, perinde ac ceteros novi fœderis libros, fuiſſe compoſitum; quodque hinc conſequens eſt, Græcum textum Matthæi genuinum, & auto-

(1) *Mazochius Comm. in Kalend. Neap. Vol. 2. pag. 564.*

autographum eſſe, non interpretationem ex Chaldæo, qui interciderit. Neque aliter dicendum nobis eſt de Marci Evangelio, quidquid contra ſciſcant Baronius (1), & Ciaconius (2), qui illud Latino primum ſermone exaratum contendunt. Quibus ex aſſe ſatisfecit præ ceteris Riccardus Simonius (3), quem te adire velim.

De Epiſtola B. Paulli ad Hebræos.

II. Secundo, magna inter eruditos eſt quæſtio de B. Paulli ad Hebræos Epiſtola, Græcene, an Hebraice conſcripta primum fuerit. Ac quamvis multa ſunt argumenta, quæ eam Græce ſcriptam ſuadeant; tamen plures fuerunt, ſuntque etiamnum eruditi, qui putant Hebraice ſcriptam eam fuiſſe; ſic tamen, ut Græca tantum interpretatio hodieque ſuperſit, Hebraico archetypo deperdito. Hæc autem opinio eo potiſſimum nititur, quod Epiſtola hæc ad Hebræos miſſa eſt, quos Hebraice locutos credunt; ideoque Hebraice conſcriptam eam putant, etſi maximæ obſiſtant difficultates. Sed & alio, eoque multo graviore incommodo iſtiuſmodi laborat opinio. Multi enim cum hæretici, tum catholici etiam de ejus proinde veracitate dubitarunt: qui his verbis apud clariſſimum Melchiorem Canum argumentantur: *Si Paulli hæc epiſtola fuiſſet, proculdubio ad Hebræos ab Hebræo ſermone fuiſſet Hebraico con-*

(1) *Baronius ad Annum Chriſti XLV. n. 27. ſeq.*
(2) *Ciaconius in Vit. ſummor. Pontif. in Petro.*
(3) *Simonius Hiſt. Crit. du Text. du N.T. Ch. XI. p. 113 & ſ.*

conſcripta: at non eſſe, multis argumentis ſuadent. Tum quoniam auctor hujus epiſtolæ, Melchiſedech, inquit, interpretatur, rex juſtitiæ. Quod ſi Hebraica lingua diceret, abſurdum eſſet, non aliter ac ſi dixiſſet, Melchiſedech interpretatur Melchiſedech. Tum quoniam idem auctor Hebraica teſtimonia citat, non juxta veritatem Hebraicam, ſed juxta translationem ſeptuaginta. Non erat igitur Hebræus Hebræa lingua ſcribens ad Hebræos. Tum quoniam epiſtola Hebraica nuſquam gentium reperitur. Non eſt autem probabile, ex omnibus epiſtolis hanc unam periiſſe. Nam reliquæ in idiomate, quo ab Apoſtolo ſunt ſcriptæ, apud nos ſervantur (1). Vix dici poteſt, quantopere in his refellendis inſudarint Theologi noſtri. Sed conatu (quod pace eorum dictum ſit) imbecilli, planeque irrito, ut ex Cano ipſo apparet. Tu vero, ſi me audis, reſpondebis, Hebræos Græcam linguam tunc temporis uſurpaſſe, quod ſupra demonſtravimus, Epiſtolamque ipſam Græce, ut ipſi volunt, fuiſſe exaratam; ſicque non modo eorum rationes diſſolveris, ſed audaces in ſuas ipſas involveris difficultates.

De Helleniſtis, deque lingua Helleniſtica.

III. Tertio vix dici poteſt, quam acriter hactenus ſuper Helleniſtica lingua, ipſiſque Helleniſtis, quorum ſæpe mentio fit in novo

(1) *Canus de Loc. Theolog. Lib. II. Cap. X.*

novo Teſtamento digladiati ſint Heinſius, Salmaſius, Martinus Schoockius, Ioannes Crojus, aliique eruditi, quorum nomina congeſta invenies apud Fabricium in bibliotheca Græca. At hujus ſyſtematis ope, facillime, qualis hujuſmodi lingua fuerit, cui genti propria, unde orta, quodque genus hominum ipſi Helleniſtæ exſtiterint, noveris, omniſque hujuſmodi lis, ac diſſidium nullo negotio componetur, ut ſupra dictum eſt.

IV. Hac item ratione intelligimus, linguam, qua ſcriptum fuit primum Machabæorum volumen, quod eruditi fere omnes Hebraice exaratum defendere coacti ſunt; qui alioqui reliquos Machabæorum libros Græce ſcriptos fatentur. Cum igitur a Machabaico ævo vernaculus apud Iudæos fuerit Helleniſticus ſermo; hoc ipſo nimirum, ut ſupra indicavimus, conſcriptus primum fuit ab auctore liber iſte; ita ut Græcus codex, qui hodie exſtat, originalis, & non verſio ab archetypo deperdito habendus ſit. *De priori libro Machabæorum.*

V. Accedam nunc ad celeberrimam, totque jamdiu doctorum virorum diſſidiis agitatam controverſiam de hiſtoria Græcæ verſionis, quam LXX. interpretum vocant, de qua uberius, quam de ceteris, differendum puto. Atque de hac quidem controverſia, ut commodius quid noſtri judicii ſit aperiamus, liceat nobis, quæſo, paucis ejus hiſtoriam attingere. *De Græca verſione LXX. Interpretum.*

Pto-

Ptolemæus Philadelphus, cum egregiam Alexandriæ bibliothecam conſtruxiſſet, libroſque undique conquireret, admonitus a Demetrio Phaleræo, qui bibliothecæ præfectus erat, exſtare apud Iudæos ſacra biblia Hebraice ſcripta, quæ regia bibliotheca digna erant, curavit ſibi continuo eadem Græce vertenda. Miſſis ergo legatis ad Eleazarum Hebræorum Pontificem, rogavit, ut libros hoſce, quique ad eos Græce interpretandos idonei eſſent, ſibi mitteret. Eleazarus dicto audiens Regi fuit, legatoſque remiſit una cum viris LXXII, qui volumen legis aſportarunt. Hi igitur poſtquam Alexandriam pervenerunt, ibidem, hoc eſt in Phari inſula, integram verſionem LXXII. dierum ſpatio abſolverunt. Tum hujuſcemodi interpretatio coram Rege, & Græcorum, & Iudæorum, literatorumque hominum multitudine perlecta, ab omnibus probata, collaudataque eſt. Quo facto, Rex permiſit Iudæis Alexandrinis, ut verſionis ejus exemplaria in ſuum uſum deſcriberent, interpreteſque illos honorifice in Palæſtinam dimiſit.

Atque hæc Ariſteas, qui hiſtoriam hanc primus vulgavit, quique translationis hujus oculatum teſtem, ac participem ſe facit. Hanc deinde acceperunt Ioſephus, & Philo Iudæus Ptolemæo Philadelpho CCCL. annis juniores. Tum illa per Theodoretum, Iu-

ſtinum

ſtinum martyrem, Irenæum, Tertullianum, Euſebium, Clementem Alexandrinum, alioſque ſequioris ævi patres, ac thalmudiſtas velut per manus tranſit; atque adeo quiſque ſuam ſymbolam in eam contulit, quod in hujuſmodi narrationibus moris eſt.

At recentiores critici, qui hiſtoriam hanc tanquam ad lydium lapidem explorarunt, adulterinam eam deprehenderunt. Thalmudiſtas autem, & patres, qui unum videntur Ariſteam deſcripſiſſe, non pluris, quam Ariſteam ipſum faciendos eſſe crediderunt. Nec immerito: quippe qui plurium ſæculorum intervallo a Philadelpho, & a ſuppoſito Ariſtea remotiores fuerunt, neque aliunde haurire eam potuerunt. Quare tota controverſia eo redit, ut videatur, an genuina ſit narratio, quæ in Ariſteæ libello legitur, *De legis divinæ ex Hebraica lingua translatione per* LXX. *interpretes*. Ea igitur ſi fabuloſa comperiatur, jam tota concidat reliquorum ſcriptorum auctoritas neceſſe eſt. At hunc libellum partum eſſe ſuppoſitium judicarunt viri docti. Siquidem univerſa ejus oratio ingenium Iudaicum plane redolet, quod pro innata gentis ſuæ conſuetudine grandia ubique crepat. Qua de re Ludovicus Vives, Leo a Caſtro, Alphonſus Salmeron, Ioſephus Scaliger, ac tandem Riccardus Simonius, Antonius Van-Dale, Humphredus Hody,

Ioan-

Ioannes Albertus Fabricius, compluresque alii ſuſpicati ſunt adulterinum hunc numum in Iudæorum Alexandrinorum officina cuſum fuiſſe; qui ut Græcæ verſioni auctoritatem conciliarent, librum perſonati Ariſteæ nomine ediderunt. Eorum referre argumenta, ac thalmudicorum, hiſtoricorum, & patrum diſſidia perſequi nec tempus, nec animus ſinit; ut nec ea regerere, quæ a Natali ab Alexandro, Auguſtino Calmet, ac modo laudatis auctoribus allata ſunt, qui tam manifeſte ejus ſcripti vanitatem demonſtrarunt, nullus ut prope reliquus ſit dubitandi locus.

Atqui tamen plures fuerunt, ac ſunt ætate hac noſtra eruditi, quos hiſtoria hæc nacta eſt patronos, quique tam ſecure eam, tamque conſtanter affirmant, ut parati ſint Iovem lapidem jurare. Sed ab iis enumerandis ſuperſedeo, illudque unum addo, ſatisfeciſſe iis cumulate, ut mihi quidem videntur, Humphredum Hody, Riccardum Simonium, alioſque magni nominis, & eruditionis viros. Ceterum ad narrationis hujus *νοθείαν* magis confirmandam, nonnullas de ea re obſervationes ſubnectam, quæ a nemine adhuc, quod ſciam, prolatæ in medium ſunt.

Igitur primum argumentum eſto æqualium, & *συγχρόνων* ſcriptorum ſilentium, eorum præſertim, qui in Ægypto degebant

apud

Digitized by Google

apud eumdem Philadelphum; Τῆς μὲν γὰρ ἀληθοῦς ἐςι τεκμήριον ἱςορίας, εἰ περὶ τῶν αὐτῶν ἅπαντες ταὐτὰ καὶ λέγοιεν, καὶ γράφοιεν; *Cum enim eo potiſſimum argumento hiſtoriæ veritas comprobetur, ſi de rebus iiſdem eadem omnes pronuncient, ac ſcribant*, inquit Ioſephus (1). Et criticæ artis magiſtri docent; *Eam hiſtoriam veracem eſſe, quæ quas res narrat, eædem narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis, qua res geſtæ ſunt; quæ ſi memoratæ non fuerint, hiſtoria plane ut ficta judicanda eſt.* Qua de re conſulas licet Huetium (2), & Clericum (3). Cujuſmodi axiomata ſi uſquam valent, hoc loco valere certe plurimum debent: res enim, ut eam quidem Ariſteas narrat, maxime memorabilis, & inſignis exſtitit, ut præteriri ſilentio omnino nequiverit.

1. Ob nimiam Ptolemæi curam, & ſollicitudinem. Etenim Ptolemæus, ſi Ariſteam audimus, voluminis comparandi ſtudio ita incenſus fuit, ut ſtatim ejus cauſſa centum viginti millia Iudæorum, qui in Ægypto ſervitutem ſerviebant, in libertatem vindicarit; ſcripſerit Eleazaro de comportando ad ſe codice; miſerit in eum finem legatos, qui ditiſſima etiam Dei templo munera inferrent. Audito interpretum adventu, omnes di-

(1) *Ioſephus Libro* 1. *contra Apionem* §. 5. *p.* 440.
(2) *Huetius Demonſtr. Evangel. Axiom.* II.
(3) *Clericus de Art. Crit. Par.* III. *ſect.* III. C. III.

dimiſit, qui negotiorum cauſſa aderant in aula; ac tamdiu deambulans eos exſpectavit, donec advenientes primus ſalutaret. Libros autem ut vidit, diu ſubſiſtens gratias interpretibus, Pontifici, & Deo egit, gaudioque plenus collacrimatus eſt.

II. Ob celebritatem ipſam, qua adornata fertur hæc verſio fuiſſe. Rex enim interpretes ſeptem continuis diebus convivio lautiſſime excepit; ipſorumque interim ſapientiæ in politicis quæſtionibus periculum fecit coram philoſophis, aliiſque doctis. Tum abſolutam interpretationem in ſacerdotum, primorum, ſapientium, ac populi concione prælegi juſſit; quæ omnium ſuffragio comprobata fuit. Ditiſſimis muneribus, quæ domum ſibi quiſque, & ad Pontificem ferrent, interpretes oneratos dimiſit. Munera vero, quæ in templum mittenda erant, tam exquiſite elaboranda curavit, ut identidem Rex ipſe feratur ſtudioſe aſſediſſe artificibus, ut quanta maxima cura fieri poſſet in opera incumberent. Demum palam Rex profeſſus eſt interpretibus; Μεγάλην δὲ τέθειμαι τὴν ἡμέραν ταύτην, ἐν ᾗ παραγεγόνατε, καὶ κατ' ἐνιαυτὸν ἐπίσημος ἔσται πάντα τὴν ζωῆς ἡμῶν χρόνον; *Hic autem dies in ſingulos annos per totam vitam meam erit mihi ſolemnis, & magnus, quo vos ad me veniſtis* (1). III. Ob

(1) *Ariſteas exſt. apud Ioſ. Op. T. II. p. 119.*

III. Ob impenſam a Philadelpho pecuniam in conficiendis crateribus, menſis, vaſis, phialis, ceteriſque donariis, quam ſi in ſummam conferamus, mille, & ducenta talenta numerabimus; quæ circiter vicies, & centies centena millia ducatorum Neapolitanorum ſummam coæquant. Cui quidem ſummæ ſufficere vix potuiſſent regni redditus triennio collecti.

Porro autem hæc ſi ita habuerunt, quemadmodum venditat ea nobis Ariſteas, profecto verſionis hujus fama uſquequaque diſſeminata, ipſiuſque Philadelphi munificentia ubique gentium ſcriptorum elogiis celebrata fuiſſet. Atqui tunc temporis in Ægypto viri docti plures claruerunt, quorum conſuetudine delectatus eſt Philadelphus, quique illius laudes ſcriptis celebrarunt, & ornarunt ſuis. Hi ferme fuerunt Manethos Sebennyta hiſtoricus, Zoilus Amphipolitanus, qui ambo opera ſua dicarunt Regi, Perſeus, & Dionyſius Heracleota, uterque philoſophus, Aratus poeta Solis in Cilicia natus, Licophron Chalcidenſis, Callimachus Cyrenæus, qui non ſemel Philadelpho blanditus eſt (1), Theocritus Syracuſanus, qui Regem pariter laudavit Idyllio XIV, & præſertim in XVII, ubi ex profeſſo ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον canit, eumque undique petitis laudibus ex-

 ſtol-

(1) *Callimachus Hymno in Delum, & in Apollinem.*

ſtollit: qui tamen omnes ſcriptores de tam præclaro Ptolemæi facinore conticeſcunt. Apud exteros ſcriptores præterea, qui plures illa ætate floruerunt, præſertim Græci, nova ſemper, & ſingularia ſcire, & ſcribere appetentes, altum de eadem re ſilentium. Quibus tamen facinus iſtiuſmodi neque incognitum eſſe debebat, atque, ſi cognitum erat, ſilentio non præteriri. His adde innumerabiles ſequioris ævi ſcriptores, qui de Philadelpho meminerunt in ſuis ſcriptis; veluti Iuſtinum, Dexippum, Eutropium, Diodorum, Strabonem, Pauſaniam, Ælianum, Plutarchum, Arrianum, Plinium, Appianum, Memnonem &c., quorum hic de Philadelphi doctrina ſcripſit, ille de munificentia, alter de ædificiis, alii plures de bibliotheca Alexandrina, libriſque ipſis avide conquiſitis. Quis ergo, qui hæc reputet, etſi in critica arte peregrinus, eam narrationem non continuo ut falſam, & commentitiam exſibilabit?

Alterum argumentum peto ab eodem Ptolemæo Philadelpho, qui nullum in ejus rei memoriam exſtare monumentum voluerit: non numos, non inſcriptiones, quæque multa alia ab antiquis excogitata ſunt ad inſigne aliquod facinus poſteritati prodendum. Et ſane tantam ex ea re ſibi gloriam comparaſſe ſibi arbitratus eſt Philadelphus, ut

LXX

LXX ſenioribus dixerit apud Ariſteam ; *Hic autem dies in ſingulos annos per totam vitam meam erit mihi ſolemnis & magnus , quo vos ad me veniſtis* . Qui tamen nihilominus in tanta ſuorum monumentorum copia, quæ adhuc ætatem tulerunt, hujus facti memoriam taceri, ut diximus, omnino paſſus eſt, quod incredibile videtur.

Neque minus admiratione dignum eſt Iudæorum, & præſertim ſacrorum ſcriptorum, qui eodem ferme tempore floruerunt, ſilentium. Iudæorum, inquam, qui ſi pro innata conſuetudine honores ab ethnicis acceptos nunquam tacuere; de hac utique verſione meminiſſe debebant, quæ non modo ſuæ gentis, ſed ſacrorum præterea librorum gloriam auxiſſet. Maxime cum hæc ipſis interpretatio tam grata acciderit, ut teſte Philone diem feſtum ob ejus rei memoriam inſtituerint. Scriptores autem ſacri, etſi plura ſcripſerunt de Regibus Ægypti, deque Hebræorum rebus, quæ illa ætate acciderunt; de verſione tamen hujuſcemodi ne verbum quidem faciunt. Auctores primi, & tertii libri Machabæorum, Simon Cyrenæus, qui hiſtoriam ſui temporis quinque libris complexus eſt; & qui Simonis opus in unum volumen contraxit, quod eſt liber ſecundus Machabæorum; item libri Sapientiæ auctor, qui vulgo putatur Philo ſenior;

Syrachides, qui in Ægypto ſub Ptolemæo Evergete Eccleſiaſtici librum vertit ex Hebraico in Græcum, qui licet moneat in prodromo, plures inveniſſe in Ægypto ſacros libros, ex quibus unum illum Græce vertendum curavit; tamen neque hic, neque alii de verſione illa unquam meminerunt. Apud ſcriptores denique novi Teſtamenti, qui paſſim in citandis antiqui fœderis libris verſione hac uſi ſunt, profundum tamen de ejus hiſtoria ſilentium eſt.

Denique peto ab ejuſmodi hiſtoriæ patronis, num LXX interpretes omnes Scripturæ libros in canonem relatos interpretati ſint, an partem illorum, puta Pentateuchum Moſis, ut innuere videtur Ariſteas. Partem illorum, ſeu quinque tantum libros Moſis converſos dicere, hominum eſt parum conſiderate loquentium. Non enim credibile eſt, Ptolemæum Philadelphum, qui tantam pecuniæ vim in eam rem dicitur impendiſſe, reliqua volumina neglexiſſe, puta moralia, prophetica, & hiſtorica pari ſtudio, & curioſitate digniſſima; nec ea Græce vertenda curaſſe ad regiæ bibliothecæ ornamentum. Viderunt hoc Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Hilarius, Auguſtinus, ceterique alii hiſtoriæ hujus patroni; qui proinde ajunt, univerſos Teſtamenti veteris libros transferendos Ptolemæum curaſſe. Nec iis

iis tantum contentus Epiphanius, aſſerit præter genuinos, Græce pariter fuiſſe redditos LXX, vel LXXII alios libros apocryphos. Atqui ſi hoc ipſum contra affirment, omnes veteris Teſtamenti libros fuiſſe in Græcam linguam verſos, in novas incidunt difficultates. Nam in ſecundo Machabæorum libro exſtant literæ Hieroſolymitanorum ad Iudæos Alexandrinos ſcriptæ anno circiter CLIII poſtquam confecta dicitur verſio iſthæc; in quibus indicatur, quomodo Iudas Machabæus, Nehæmiæ ſtudium ſectatus, ſacra volumina Antiocho ſæviente diſſipata in unum collegerit: tum additur; *Congregavit omnia, & ſunt apud nos; ſi ergo deſideratis hæc, mittite, qui perferant vobis* (1). Et Græce ὧν οὖν χρείαν ἔχητε, *quorum indigentiam habueritis, mittite qui ea perferant*. Si igitur vere fuerit hæc verſio in Ægypto adornata, quorſum exemplaria ſacrorum librorum Hieroſolymitani Iudæi obtuliſſent Ægyptiis fratribus, quibus permiſſum dicitur a Philadelpho, ut exemplaria deſcriberent in ſuum uſum? Potius Iudas librorum, qui pene in Iudæa interciderant, exemplaria ex Ægypto advehenda curare potuiſſet, quam laborem illum minime neceſſarium ſumere. Quare non inſcitė fecerimus, ſi doctos viros ſecuti, clariſſimoque hoc ſacrarum literarum teſti-

(1) *V. Lib. II. Machab. Cap. I. & II. v. 14., & 15.*

teſtimonio nixi Ariſteanam narrationem inter aniles fabellas plane amandemus.

Age nunc videamus, quo tempore, quo loco, & unde orta ſit Græca hæc verſio, & quodnam fuerit Ariſteanæ fabellæ fundamentum; quod antequam faciam, nonnulla animadvertam, quæ facem veluti præferunt ad verſionis hujus originem inveſtigandam.

Ac primo Græca, hæc verſio non unius interpretis opus fuit, ſed ſinguli ejus libri ſingulis propemodum ſcriptoribus, ſive interpretibus debentur. Id manifeſtum eſt ex ſtili varietate, & interpretandi modo, qui non uſquequaque ſibi reſpondet, ut a viris eruditis obſervatum eſt (1). Et ſane unius, ejuſdemque vocis Hebraicæ non ſemper eſt eadem verſio, ſed inconſtans; neque eadem adornandæ verſionis methodus, & ordo: ſunt libri in quibus verſio literæ textus religioſe inhæret; in aliis contra liberior procedit. Verſio, exempli cauſſa, Pentateuchi ad Hebraicam veritatem magis accedit, multoque accuratior eſt, quam ceterorum Scripturæ voluminum; ut ipſe Hieronymus fatetur, qui verſioni LXX non tam æquus fuit; *Quos libros*, inquit, *nos quoque confitemur pluſquam ceteros cum Hebraicis conſonare* (2). Græca autem verſio libri Eſther ita

(1) *V. Ludovic. Cappelli in Critica ſacra.* *Clericum Com. in Pent. & lib. Hiſt. in Indice v. LXX.*

(2) *Hieronymus Proleg. in Quæſt. Hebr. in Geneſim.*

ita ab Hebræo diſcrepat, ut plurimæ additiones legantur in ea, quæ in Hebraico archetypo deſunt. Quare verſio pentateuchi alium auctorem, quam libri Eſther, apertiſſime prodit. Idem dicas de ceteris libris, quorum hic ad verbum potius, ille ad ſententiam converſus eſt. Quæ omnia manifeſte docent, totum illud opus, quod ſub uno LXX interpretum nomine continetur, non collato multorum ſtudio elaboratum, ſed ex variis variorum interpretum verſionibus fuiſſe concinnatum.

Secundo verſiones hæ, atque ipſarum collectio nulla celebritate, nulloque apparatu adornatæ ſunt, ſed privatim. Nam cum ſatis abunde demonſtratum ſit, Ariſteæ hiſtoriam fabuloſam eſſe; cumque de ea, deque verſione ipſa nulla mentio in coætaneis, & in ſupparibus Iudæorum, & exoticorum ſcriptorum libris reperiatur, nedum apud eoſdem ſacros auctores, qui verſione hac uſi ſunt; quid inde conſequens eſt, niſi verſiones haſce, earumque collectionem ex privatis Iudæorum ſtudiis ortum habuiſſe? Quare fruſtra de ea teſtimonium quæres apud legitimos, ſeu coætaneos, ſeu proxime ſequentes ſcriptores; ſiquidem verſiones iſtæ, earumque collectio utpote expertæ fideles, famam eundo acquiſivere. Quod ipſum eveniſſe ſcimus Canonibus, qui dicuntur Apoſtolorum, Collationi le-

legum Moſaicarum, & Romanarum; ac verſioni ipſi Latinæ, quæ vulgata dicitur, aliiſque innumeris libris intra domeſticos privatorum hominum parietes lucubratis, quorum auctores fruſtra quærimus; ſiquidem tempus idem, quod operis famam auxit, auctoris nomen ſuppreſſit.

Tertio interpretationes illiuſmodi, ipſarumque συωαγωγὴ ante Chriſti ætatem elaboratæ ſunt. Quippe ea Chriſtus, & Apoſtoli, & Evangeliſtæ uſi ſunt in citandis antiqui fœderis teſtimoniis. Atque his animadverſis, facile, niſi fallor, hujus rationis ope rem divinabimus. Ac ſane quanto ſtudio Iudaica gens in ſacrarum literarum lectionem incumberet, notius eſt, quam ut pluribus verbis hoc loco dicendum ſit. Hæc ut alios non legebat libros, præter proprios; ita nemo prorſus in ea exſtabat, qui ſacris literis operam non daret. Viri, mulieres, ſenes, adoleſcentes, milites, artifices, doctores, omnes denique, cujuſquemodi illorum conditio eſſet, ſacra volumina pervolutabant, & quidem ſermone patrio ideſt Hebraico conſcripta. Ac poſt Babylonicam ſervitutem, cum Hebraicum idioma vernaculum eſſe deſiit; in vulgi gratiam, quod Hebraice amplius non intelligebat, Scriptura Chaldaice converſa eſt. Cum vero ob Alexandri imperium Græca lingua in Orien-

tem

tem inveƈta, & uſurpari in Iudæa cœpit; tunc Iudæorum privati aliqui, ſive in ſuos uſus, ſive ob aliorum utilitatem cœperunt hunc, illumque librum in uſitatiorem linguam, qualis Græca erat, convertere; quod feciſſe legimus Syrachidem, qui Eccleſiaſtici librum Græce interpretatus eſt, ut idem teſtatur in Prologo; *Itaque bonum, & neceſſarium putavi, & ipſe aliquam addere diligentiam, & laborem interpretandi librum iſtum*. Sic etiam Lyſimachus librum Eſther Græca lingua donavit, ut ſolide probat Auguſtinus Calmet (1). Harum porro verſionum numerus auƈtior faƈtus eſt poſtquam Iudas Machabæus biblia, quæ ſæviente Antiocho Epiphane combuſta fuerunt, ſedulo perquiſivit, & in unum volumen compegit (2). Maxime cum exinde Helleniſmus in Iudæa tam altas radices egerit, quod late probavimus ſupra (3). Quamobrem, quemadmodum Græce tunc loquebantur, ac ſcribebant, nec alia vulgo lingua utebantur; ita complures privati homines ſacra biblia in communem hanc linguam vertere aggreſſi ſunt; brevique faƈtum eſt, ut ſingulorum librorum plures exſtiterint Græcæ verſiones, quemadmodum primis eccleſiæ ſæculis, cum Latinus ſermo vigeret in

(1) *Calmet Proleg. ad Librum Eſther pag.* 462.
(2) *Lib. II. Machabæorum Capite II.*
(3) *V. Par. I. Cap. II. §. XIII. Par. III. Cap. I. Seƈt. III.*

in Occidente ; quo quidem tempore innumeræ exſtiterunt Latinæ verſiones ex Græco deductæ, teſte Auguſtino ; *Vt enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari* (1). Ita quoque eveniſſe arbitror in Iudæa, cum Græcus ſermo invaluit poſt Machabæorum tempus, in quo exſtitit multitudo Græcarum verſionum privatim elaboratæ. Tunc ergo factæ ſunt Græcæ interpretationes librorum Iudith, Tobiæ, Iob, Paralipomenon, aliorumque plurium, quas adhuc habemus; quæque tam certe privatorum ſtudiis tribuendæ ſunt, ut modo etiam lateant auctores earum, deque iis inter criticos ſacros lis pendeat.

Ex quo tamen Chaldaica lingua in deſuetudinem abire cœpit; ita ut major populi pars, neque Hebraice intelligeret, neque Chaldaice; cum in tanta Græcarum verſionum turba, quæ ſparſim ferebantur non omnes fideles, & concinnæ eſſe poſſent; inde factum puto, ut Synedrium majus ſelectas meliores uniuſcujuſque libri verſiones eas ad communem populi uſum in unum corpus colligendas curaverit, ſeu potius collectio hujuſcemodi privatim antea ab incerto auctore elaborata, Synedrii dein-de

(1) *Auguſtinus de Doctr. Chriſt. Lib. II. Cap. II. n. 16.*

de magni auctoritate in ſynagogis publice perlecta, approbataque fuit; ita ut poſtea Chriſtus, Apoſtoli, & eccleſia univerſa in eadem acquieverint. Cum vero majus hoc Synedrium (quo approbante recepta, aut permittente publice adhibita eſt) ex LXXII, ſive LXX ſenibus eſſet; vel inde fortaſſe factum eſt, ut tota illa verſionum collectio LXX ſeniorum, ſeu Synedrii magni nomen tulerit, ut recte opinatus eſt in hac parte clariſſimus Riccardus Simonius (1). En igitur, unde ortum habuerit fabella de Græca interpretatione LXX virali; ex LXX virali nimirum collegio, quo permittente, aut approbante, uti illa interpretatione vulgo cœperunt Iudæi. At poſtea Iudæus nempe aliquis paullo poſt Chriſti ætatem, quæ fecunda nimis fuit fictiorum ſcriptorum, cum videret hujuſmodi verſionum collectionem a nemine fuiſſe memoratam, abydenam hanc irruptionem fecit, ad augendam namque gentis ſuæ gloriam ſub perſonato Ariſtea commentus eſt hiſtoriam de legis divinæ verſione tam enixe per Philadelphum conquiſita. Atque hæc ſatis modo ſint ad indicandum locum, tempus, cauſſam hujus LXX interpretum verſionis lucubrandæ, ac fundamentum, quo pſeudo-Ariſteæ narratio niti fortaſſe potuit.

VI.

(1) *Simon Hiſt. Crit. du V. T. L. II. Cap. II. p.191.*

VI. Habes jam, amice Lector, quæ ſuper novo hoc argumento hactenus invenire, atque obſervare licuit. Ceterum ſi quid erit non ita ad unguem, atque ad criticam amuſſim exactum, quodque minus tibi in hac Exercitatione arriſerit, illud, quæſo, tecum reputa, quod ait Tullius; *Nihil eſſe ſimul, & inventum, & perfectum.*

FINIS.

Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Dominus D. Salvator Filucci Can. hujus Metropolitanæ Eccl. S. Th. Prof. & Curiæ Archiep. Exam. Synodalis revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 27. Decembris 1766.

PHIL. EP. ALLIFANVS VIC. GEN.
JOSEPH SPARANVS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Eminentiæ tuæ juſſu *Dominici Diodati Exercitationem*, quæ eſt *De Chriſto Græce loquente*, cum ea, quæ par erat diligentia evolverim; tum nihil, quod aut bonis moribus, aut catholicæ fidei abſonum reperi. Quin gratulandum huic juveni eſt, quem licet non ſit ex Eccleſiaſticorum ordine, cum juris ſcientia ſocias feciſſe ſanctorum voluminum ſcientiam, atque orientalium linguarum peritiam, atque ad communem Chriſtianorum utilitatem, ac quæſtum tot ſæculorum intercapedine ignotam hanc ſacræ hiſtoriæ potiſſimam, ac principem partem ſanequam erudito commentario, & evidentiſſimorum monumentorum, ac rationum ope aperuiſſe, ingentemque nomini ſuo famam conquiſiviſſe. Quare quantocius uſuræ publicæ libellum hunc faciendi libenter danda eſt poteſtas. Neapoli die XV. Februarii 1767.

Salvator Canonicus Filucci.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum die 19. menſis Februarii 1767.

PHIL. EP. ALLIFANVS VIC. GEN.
IOSEPH SPARANVS CAN. DEP.

Adm.

Adm. Rev. D. Ianuarius Giordano in hac Regia Studiorum Vniverſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 1. Auguſti 1766.

NIC. EPISC. PVT. CAP. MAIOR.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOM.

PErlegi librum, cujus epigraphe eſt de Chriſto Helleniſta Exercitatio Auctore Dominico Diodati; atque ex ejus lectione ſummam animo voluptatem cepi. Nihil in eo reperi, quod vel bonis moribus, vel Auguſti Regis Noſtri ſacroſancto juri noceat. Præterea acre ingenium, ingentem eruditionem, ſtili elegantiam, & Latinæ, Græcæ, Hebraicæque &c. linguæ ſcientiam oſtendit hic Auctor ſupra ætatem ſuam, & ſupra opinionem omnium; novamque de Chriſto Helleniſta ſententiam exquiſitis argumentis tuetur, atque confirmat. Equidem nova ſententia multos excitare ſolet adverſarios; ſed hoc commodum rei litterariæ accidit, ut collatis, cognitiſque utriuſque partis argumentis veritas facile eruatur, atque affulgeat. Quare hunc librum, ex quo magna utilitas proceſſura eſt, publicis typis edi poſſe puto, ſi idem tibi arriſerit. Neapoli XI. Kal. Ian. an. 1767.

Obſequentiſſimus, tibique Addictiſſimus
Ianuarius Giordano Sac. Can. Antec. Regius.

Die 18. menſis Februarii 1767. Neap.

Viſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 7. currentis menſis, & anni, ac relatione Rev. D. Ianuarii Giordano, de commiſſione Rev. Regii Cappel-

pellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma preſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica hoc ſuum.

GAETA. DE FIORI.
VARGAS MACCIVCCA.

Ill. Marchio Citus Præſes S. R. C. & Ill. Caput Aulæ Dux Perrelli tempore ſubſcriptionis impediti.

Reg. fol. 127. *t.*

Carulli. Athanaſius.

Z
9.5.62

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 14. v. 10. Egyptii	Ægyptii
Ibid. in fine *Kirchar*	*Kircher*
Pag. 16. v. 6. 7. to-ſere	toto ſere
Pag. 21. v. 18. *Συρ αχιὴ*	*Συριαχιὴ*
Pag. 34. v. 22. תור שטנזם	מנין שטרות
Pag. 36. v. 4. Syonis	Sionis
Pag. 38. v. 14. oura	cura
Pag. 41. v. 7. Syone	Sione
Pag. 45. in fine *Lib.* II. *Mach.*	*Lib.* I. *Mach.*
Pag. 46. v. 16. centefimo	centeſimo
Pag. 47. v. 4. ad incepto	ab incepto
Pag. 69. in princ. §. xv.	§. xvi.
Pag. 80. v. 2. cum	eum
Pag. 136. v. 17. ſieri	fieri

Ac demum ne puſillorum aures offendantur, teſtor quod in pagina 144. ad illa verba Eli, Eli, Lamma Sabatani Chriſti *querelam* nominavi, eam non aliter accipias volo, quam pro exclamatione.

Digitized by Google

CC56653227

Digitized by Google

43

Google